

COMMENTARIUM IN CONSTITUTIONEM APOSTOLICAM "SPONSA CHRISTI" ET IN INSTRUCTIONEM SACRAE CONGREGATIONIS DE RELIGIOSIS "INTER PRAECLARA" DE CLAUSURA PAPALI MAIORE ET MINORE

SUMMARIUM.—I. De clausura papali in genere:

1. Criterium generale: 1, momentum clausurae; 2, eius accomodatio; 3, norma sequenda.

2. Figura generalis clausurae papalis: 4-6, elementa distinguenda.

a) Obligatio clausurae: 7, obligatio; 8, revocatio dispensationum; 9, species clausurae papalis; 10, tempus a quo incipit obligatio; 11, consequentiae.

b) Régimen clausurae: 12, notae servandae; 13, maior severitas quam pro aliis religiosis.

c) Accomodatio: 14-18, causae pro accomodatione inducenda; 19, usus dispensationum; 20, circumstantiae; 21, ratio accomodationis.

II. De clausura pontificia maiore:

1. Notio et elementa: 22, notio clausurae maioris; 23, ratio accomodationis; 24, Instructio "Nuper edito"; 25, accomodatio; 26, eius particulare; 27, dispensationes; 28, usus facultatum; 29, causae et cautela pro dispensationibus; 30, praxis S. Sedis; 31, principium tenendum.

2. Subiectum clausurae papalis maioris: 32, Monasteria sine operibus apostolatus; 33, Monasteria cum aliquibus operibus; 34, casus dubii.

3. Sanctiones: 35, sanctiones.

III. De clausura pontificia minore:

1. Criteria pro ordinatione:

a) Criterium generale: 36, criterium generale.

b) Criteria particularia: 37, causae accomodationis; 38, criteria particularia et limites; 39, criteria concreta; 40, legitimae exigentiae; 41, differentiae iuxta loca.

2. Notio: 42, notio generica; 43, ordinatio committitur S. C. de Rel.; 44-45, habitudo ad Instr. "Nuper edito".

3. Régimen concretum:

a) Divisio Monasterii: 46, divisio aedificiorum in duas partes; 47, datur tertia pars; 48, criterium divisionis; 49, loca reservanda Monialibus; 50, loca reservanda operibus; 51, loca ubi perficitur labor pro utrisque; 52-55, loca ubi perficitur labor unice pro operibus.

b) De materiali separatione diversarum partium: 56, legislatio praecedens; 57, secura et efficax divisio; 58, connexio inter partes.

c) De clausura formali: 59, quatuor elementa; 60, applicatio mitigationis clausurae maioris.

1.º Egressus Monialium e Monasterio: 61, prohibitio; 62, admittitur ratione apostolatus; 63, ut quid normale; 64, pro praeparatione; 65, pro perfectione; 66-67, pro exercitio apostolatus; 68, pro integrando apostolatu; 69, cuinam dari possit licentia egrediendi; 70, legitima deputatio; 71-72, dispensationes.

2.º Egressus a parte reservata Communitate ad loca operum: 73, criteria; 74, elementa consideranda; 75, ratio apostolatus; 76, eius extensio; 77, licentia Superiorissae; 78-79, deputatio exercitio apostolatus.

3.º Ingressus extraneorum in loca operibus destinata: 80-81, ingressus normalis illorum quibus opera diriguntur; 82, casus dubii; 83, ingressus normalis mulierum ex causa cum apostolatu connexa; 84, casus connexionis; 85-87, ingressus exceptionalis generalis; 88, ingressus exceptionalis in casibus particularibus; 89, an sit necessaria connexio cum apostolatu; 90-91, interventus Ordinarii loci; 92, cautelae imponendae.

4.º Ingressus extraneorum in aedes Monasterii Monialibus reservatas: 93-94, aequiparatio clausurae maiori.

d) De apto regimine clausurae minoris: 95-96, finis accomodationis videtur obtineri.

1.º Difficultates in applicatione clausurae minoris: 97-98, difficultates ratione aedificiorum; 99, ratione ministeriorum; 100, pro transitu Monialium ad loca operum; 101-103, pro ingressu extraneorum in illa.

2.º Solutio difficultatum: 104, solutio per dispensationes; 105, solutio inveniendi in Instructione; 106, reductio ad apostolatum, pro transitu Monialium; 107-108, pro ingressu extraneorum in loca operum; 109, extensio apostolatus; 110, si genus apostolatus componi potest cum vita monastica.

e) Ulterior accomodatio clausurae minoris: 111, accomodatio excludenda; 112, elementa consideranda; 113, regimen et praxis clausurae in pluribus Monasteriis cum operibus apostolicis; 114, exercitium operum extra Monasterium nequit esse quid normale.

4. Monasteria subiecta clausurae minori: 115, norma et criterium; 116, Monasteria ex instituto dedita apostolatu; 117, vel de facto apostolatum quadam amplitudine exercentia; 118, non dicit relationem ad speciem votorum; 119, criterium subsidiarium; 120, Monasteria in quibus necessariae essent frequentes dispensationes; 121-122, hoc praevidetur a documentis pontificiis.

5. Quinam determinet clausuram minorem: 123, pro aliquibus Monasteriis clausura minor necessaria; 124, in casibus dubiis interventus S. Sedis; 125, successivae innovationes.

6. Meritum clausurae minoris: 126, permittit professionem votorum solemni; 127, una cum exercitio apostolatus, 128, iuxta necessitates operum.

7. Dispensationes a clausura minore: 129, ex regula S. Sedi reservantur; 130-131, possibilitas eas reservandi Ordinario loci.

8. Sanctiones pro clausura papali minore: 132, pro elementis potioribus; 133, pro novis elementis; 134, genus poenae.

Conclusio: 135, conclusiones.

I. DE CLAUSURA PAPALI IN GENERE

CRITERIUM GENERALE

1. Potissima elementa in figura iuridica monialium, etiam postquam initium habuerunt monasteria cum quibusdam apostolatus operibus, recensentur vota sollemnia et clausura papalis. Monialis, seu tunc religiosa, non concipiebatur absque votis sollemnibus et vota sollemnia necessario secumferbant et adhuc in Codice secumferunt obligationem clausurae papalis (can. 597, § 1).

Logice Constitutio Apostolica "Sponsa Christi", sive in parte doctrinali in qua dat regulas et principia quibus informare debet accommodata renovatio instituti Monialium (A. A. S., vol. XLIII (1951), pp. 11-15), sive in Statutis Generalibus, in quibus renovatio praedicta in concreto definitur, agit de clausura immediate postquam de votis sollemnibus sermonem fecit. Principia et normae constituentes regimen clausurae vitae contemplativae dant ambitum in quo ipsa, "a seculari profanoque contactu" defensa florere potest.

2. Romanus Pontifex in praesenti sollemni documento, exemplo suorum praedecessorum ductus, magna cum sollicitudine ac cura clausuram illustrat ac ordinat. Ipse declarat se motum fuisse ad Constitutionem Apostolicam edendam, inter alia, a difficultatibus quibus saepe viam sternunt arotioris legis de clausura (l. c., p. 11) et, in fine expositionis historicae de Monialis figura iuridica, commemorat hoc elementum non leviter persentire adiunctorum rerumque varietates ac mutationes, sive ex inductis moribus sive ex rerum publicarum interventu; necessario ideo procedit ad clausurae accomodatam renovationem.

3. Norma tenenda, sive pro recta et pleniore intellectione Constitutionis Apostolicae et subsequen-tium Sanctae Sedis documentorum et, in primis, Sacrae Congregationis de Religiosis "Inter praeclara" diei 23 Nov. 1950, sive pro prudenti et meliori eorundem executione et concreta monasteriorum Monialium renovatione, illa est quae praemittitur regulis et iudiciis informantibus singula praescripta. Haec norma duplici parte constat, scilicet: 1.º, firma sint nativa et potissima venerandi instituti Monialium elementa; 2.º, caute et prudenter ad hodierna adiuncta accommodentur alia elementa externa et adventicia ita ut institutum majorem decorem et plenioram efficaciam sortiatur (l. c., p. 10).

Praefata norma, pro tota figura instituti Monialium data, omnino urgeri debet etiam pro particularibus elementis et in primis pro clausura.

FIGURA GENERALIS CLAUSURAE PAPALIS

4. Sicuti in instituto Monialium ita etiam in singulis elementis et ideo in clausura distingui possunt elementa essentialia integrantia et accidentalia seu adventicia. Quoniam in concreto pro clausura sint et elementa deduci potest ex fine qui per ipsam a legislatore intenditur et ex normis diversis decursu temporis a lege vel a consuetudine allatis.

5. Summus Pontifex commemorat clausuram inductam fuisse "ad tutiorem assequendam solemnem castitatis vitaeque contemplativae custodiam" (l. c., p. 12), et ideo, dicit, Ecclesia "sapienti ac vigilantem sollicitudinem statuit clausuram, diligenter eam ordinavit atque gravibus sanctionibus communiavit ita ut hortus conclusus monasteriorum nullo mundi ausu penetrari, nullo actu insidiaeque violari, nulla saeculari profanoque contactu turbari posse, sed verum animarum claustrum evadere in quo Moniales Deo liberius servire valerent" (l. c., p. 12). Habetur ergo: 1.º, praeceptum clausurae; 2.º, regimen clausurae, et 3.º, sanctiones quae praeceptum communiunt.

6. Regimen clausurae illa omnia complectitur quae afficiunt sive egressum personarum e locis clausurae legi subiectis sive ibidem ingressum ex parte personarum extranearum aliorumque quibus iste ingressus vetatur; ergo regimen clausurae continet pro Monialibus obligationem generalem non egrediendi, casus in quibus egressus licet et pariter obligationem extraneos non admittendi et pro illis praeceptum non ingrediendi nisi in casibus exceptis; complectitur determinationem locorum clausurae subiectorum; modum quo haec determinatio facienda est atque modum quo loca clausurae subiecta ab aliis clausurae non subiectis separari debent.

a) *Obligatio clausurae*

7. Obligatio clausurae eiusque peculiaris character pontificius a Constitutione Apostolica "consulto ac solemniter confirmatur" (l. c., p. 12). Lex clausurae "consulto", scilicet, cum plena cognitione eiusdem momenti ac commodi et etiam non obstantibus difficultatibus quae cum ipsa aliquando necessario connectuntur et "solemniter", scilicet, expressis verbis clare et distincte, vi summæ pontificiae auctoritatis, conservatur et urgetur: quinimmo eiusdem obligatio extenditur etiam ad monasteria quae ab ea dispensationes obtinuerunt. Ad urgendam strictiorem obligationem legis clausurae pro ipsa asservatur et confirmatur character pontificius, quatenus dupliciter manifestatur: sanctiones quibus lex communitur Romano Pontifici reservantur et eidem reservantur quoque dispensationes a lege.

8. Ideo monasteria quae vota solemnia profitentur et quae clausuram papalem hucusque ex legitima dispensatione non servant, hanc dispensationem a Supremo Legislatore expresse revocatam considerare debent ideoque nullam servare vim (can. 60), et hoc de se, ex ipso momento quo lex in Constitutione Apostolica contenta urgere incipit (Stat. Gen. art. IV, § 3, 3.^o).

Constitutio clausuram papalem, saltem minorem, imponit omnibus monasteriis Monialium quae vere Moniales sunt ad normam can. 488, 7.^o participantque Monialium iuribus et privilegiis, et quae cum emitterent tantummodo vota simplicia non subiiciebantur clausurae papali.

Canones 597-600, juxta responsum Pont. Comm. ad Cod. Int. diei 1 Ian. 1921 (1), non efficiunt huiusmodi Moniales ratione indulti apostolici eisdem concessi adhuc in vigore manentis (2); praesenti vero Constitutione indultum praedictum revocatum censetur et pariter revocata habentur omnia indulta quae regulares mulieres a clausura papali eximunt (3).

Revocatio indultorum ac dispensationum ita urgetur ut si circumstantiae et adiuncta talia sint quod habitualiter clausura saltem minor in aliquo monasterio servari non possit, illud monasterium privandum esse characterem monastico ipsum reducendo ad conditionem domus sororum vel piarum mulierum in communi viventium (Stat. Gen., art. IV, § 5, 2.^o).

9. Articulus quartus, par. 4, 1.^o, expresse affirmat severior clausura, quae pontificia dicitur firmis semper ac pro omnibus monasteriis iis notis quae eidem quasi naturales sunt, duplex in posterum distinguetur: maior et minor.

Praefatis praescriptis clausura papalis, in una ex suis speciebus, item fit de iure et de facto elementum essentielle figurae iuridicae Monialium a quo non admittitur habitualis dispensatio vel exemptio.

Indulta sicuti dispensationes a Const. Apost. revocata vim amittunt ab illo momento quo lex, post ordinariam vacationem (can. 9), urgere incipit et ad executionem duci debet.

10. Moniales ipsae ad observantiam clausurae tenentur post ipsius restaurationem in monasterio ex parte legitimae auctoritatis cui a Codice cura clausurae commissa est (can. 597, § 3; 603). Superior determinans

(1) A. A. S., XIII, 1921, p. 177.

(2) Die 1 augusti 1839 S. C. EE. et RR. responderat Moniales Galliae, cum non habeant vota solemnia, si ab Episcopis restituta fuerit clausura, ad ipsam servandam non teneri sub poenis a sacris Canonibus aut ab Apostolicis Constitutionibus statutis, teneri vero sub poenis ab Episcopis impositis. BIZZARRI: *Collectanea S. C. EE. et RR.*, pp. 86-87.

(3) Praescriptum Constitutionis Apostolicae non est nova lex, lex habetur in can. 597, sed est potius expressa revocatio indultorum legi iam existenti contrariorum, ad normam can. 60.

partes clausurae subiectas etiam debet definire tempus a quo obligatio incipiet (4).

Constitutio Apostolica dicit clausuram saltem minorem "caute" extendi etiam ad monasteria quae hucusque ad clausuram papalem non tenebantur, quod verbum "caute" innuere posset, perpendenda esse adiuncta et circumstantias ad hoc ut clausura opportuniore momento quo fieri potest inducatur.

In art. IV, § 5, 2.^o Stat. Gen. comminatur amissio characteris monastici pro illis monasteriis pro quibus "certo" constat "ex more" clausuram papalem saltem minorem servari non posse. Cum dicatur "certo" et "ex more", supponitur dari posse spatium temporis in quo observantia clausurae papalis impossibilis est, sed postea forsitan vel certe possibilis erit: hoc spatium temporis facilius locum habebit primo tempore post promulgationem Constitutionis, etenim ad clausuram papalem aliquibus in casibus aptanda sunt aedificia, opera, ministeria, etc. Casus moralis impossibilitatis illico inducendi clausuram papalem non tam rari videntur.

Iudicium de istis difficultatibus non avocatur immediate Sanctae Sedi sed illis relinquitur quibus incumbit cura de clausura. Ergo censemus quod ad normam canonis 9 Ordinarii locorum nunc tenentur ad restaurandam clausuram in praedictis monasteriis, nisi peculiares adsint difficultates quae **dilationem consulant**. Quando autem certo apparebit quod monasterium aliquod, ex regula, et habitualiter, non poterit sese subiacere legibus clausurae papalis etiam mitioris, res deferenda erit Sanctae Sedi pro conversione illius monasterii in domum Congregationis vel Societatis (5).

II. Conclusio ideo imponitur vel amissio characteris Monialium vel clausura papalis (6).

Non afficiuntur ab obligatione restaurandi clausuram papalem illae domus religiosae quae etsi vocentur monasteria, stricte iure non veniunt nomine Monialium.

Ergo absque fundamento apparet rumor aliquando diffusus de suppressione clausurae ad hoc ut Moniales in mundo egrediantur et pariter

(4) P. T. SCHAEFER: *De Religiosis*, n. 348, 3.

(5) Pevocatio indulgentiarum et dispensationum omnino concordat cum mente et voluntate Summi Pontificis imponentis restorationem votorum solemnium.

Si Monasteria votorum simplicium tenentur ad clausuram papalem, non videtur adesse rationem pro permanentia in votis simplicibus. Frequenter transitus ad vota simplicia servato characterem monastico locum habuit propter impossibilitatem servandi clausuram papalem, prout antea ordinata erat; cessata hac impossibilitate, ex nova ordinatione clausurae papalis, iure imponitur reditur ad vota solemnia et revocantur indulta et dispensationes concessa contra legem de clausura servanda.

(6) Exceptio facta est pro Monialibus Ursulinis Unionis Romanae.

destitutum quovis fundamento apparet fuisse quoque timorem ex parte quarumdam Monialium quae putabant legem clausurae abrogatam iri.

Superfluum est animadvertere quod si obligatio clausurae confirmatur non tantum ipsa possibilis etiam nostris diebus agnoscitur, sed eiusdem observantia in ascetica vitae religiosae uti magni momenti proclamatur atque necessarium elementum hodiernae figurae iuridicae Monialium habetur.

b) *Regimen clausurae*

12. Regimen clausurae in Const. Apost. solemniter confirmatae conservare debet notas essentielles et quasi naturales regiminis hucusque existentis. Dicit Summus Pontifex in Const. Apost.: “regimen clausurae retinet “illa quae eidem necessaria atque insita sunt” (l. c., p. 12) et in Statutis Gen., quibus regimen ipsum exhibetur, ait “firmis semper ac pro omnibus monasteriis iis notis quae eidem (clausurae) quasi naturales sunt” (Art. IV, § 1).

Quaenam vero sint istae notae naturales desumi debet ex fine cui clausura destinatur, scilicet defensio vitae contemplativae seu recollectionis ad ipsam necessariae et tutela castitatis: haec defensio obtinetur excludendo vel moderando egressum Monialium extra monasterium et pariter ingressum extraneorum in monasterium.

13. Notae seu normae de egressu et de ingressu rigidiores esse debent ac illae quae pro aliis religiosis vigent: tueri enim debent praesertim vitam contemplativam quae Monialium iuridice est propria nota distinctiva, et in concreto proportionatae esse debent tutelae qua vita contemplativa, prout in monasteriis exercetur, indiget. Quovis in casu clausura Monialium severior et strictior supponitur quam clausura aliorum religiosorum: pro monasteriis universis clausura remanet papalis. Statuta Generalia, art. IV, § 1, Instructio Sacrae Congregationis “Inter praeclara” sanciunt quod clausura praescripta pro omnibus monasteriis differt a clausura episcopali Congregationum, et “quoad plura praescripta, tum pro ingressu extraneorum intra clausurae limites cum pro Monialium ab eisdem egressu, normis severioribus regitur”. In art. IV, § 5, 1.º Stat Gen., urgentur notae quibus clausura Monialium distinguitur a clausura Congregationum mulierum et etiam a clausura papali regularium virorum.

c) *Accommodatio*

14. Notis essentialibus clausurae papalis retentis in Const. Apost. ordinatur eiusdem regiminis moderata accommodatio vel temperatio et etiam eiusdem completio.

Inter causas quae ansam dederunt inducendae temperatas accomodationes Summus Pontifex recenset quod "arctiores etiam clausurae leges non levibus saepe difficultatibus facile viam sternunt" (l. c., p. 11). Pro Monialibus quae in vita contemplativa operibus educationis et caritatis vacant Constitutio prae oculis ponit quod novi mores seu rationes ac methodi quae nunc in exercitio horum operum in usu habentur, et ipse interventus Status qui exercitium operum educationis et caritatis ordinat ac vigilat impossibilem reddunt observantiam aliquarum regularum classicae clausurae pontificiae et ideo ad utilitatem ipsius Ecclesiae et animarum illae regulae substituendae sunt ad hoc ut clausura cum praefatis operibus componi possit (l. c., p. 10).

15. Impossibilitas componendi clausuram classicam cum exercitio apostolatus causa existit amissionis characteris monastici pro multis monasteriis; nunc vero nonnulla elementa secundaria clausurae mitigantur vel etiam supprimi posse censentur ut character monasticus illis monasteriis restitui valeat et ut monasteria quae hucusque a moderato apostolatu refugerant, eidem vacare possint quin reformident gravissimas consequentias pro proprio caractere monastico.

Etiam pro Monialibus quae nullis operibus incumbunt, et quae unice vitae contemplativae vacare dicuntur possibiles, opportunas et etiam aliquando necessarias Romanus Pontifex dicit mitigationes seu largiores interpretationes regiminis clausurae. Uti causae ad hoc adducuntur gravis egestas qua saepe monasteria laborant et temporum adiuncta; conditiones hodiernae vitae socialis et individualis et rationes quibus exigentiis hominis socialis providetur quamplurimum differunt a conditionibus saeculis decursis vigentibus.

16. Vita socialis collaboratione et interventum exspocit omnium individuorum et etiam mulierum v. g. ut in politicis et etiam administrativis electionibus votum ferant; mores sociales, v. g. pro sanitate curanda, nova media et remedia exspostulant uti examina radiologica, curas dentarias, visitationes medicorum peritorum, etc.; tales sunt ut nota crudelitatis exemptae non evaderent superiorissae et etiam Moniales quae ad clausuram classicam servandam huiusmodi curas pro seipsis vel pro Monialibus sibi subditas omitterent.

Praeterea egestas monasteriorum aliquando requirere potest quod novas activitates in monasterio instaurentur, pro quarum instauratione vel exercitio Moniales extra monasterium pergere debent vel nonnullas extraneas personas in monasterio admittere necessarium erit.

Evidenter rationes quae pro moderatione clausurae in monasteriis Monialium unice vitae contemplativae vacantium militant, eodem titulo valent etiam pro Monialibus exercitio apostolatus incumbentibus.

17. Nullibi in Constitutione Apost. vel in Instructione S. C. uti causa iusta mitigandi vel largiter interpretandi legem clausurae classicae, adducitur maior difficultas quae nunc experiretur in acceptando sacrificio separationis a propria familia vel separationis ab humano commercio seu consortio vel aliqualis melancholia quae in solitudine claustrum experiretur. A Monialibus nostri temporis non minor generositas exquiritur quam a Monialibus temporis antea, ita ut concludi potest quod moderatio seu benignior interpretatio clausurae classicae inducitur in primis ratione utilitatis socialis scilicet boni communis societatis vel ratione boni communis monasterii, vel tandem ratione exigentiae ipsius sensus socialis qui quasi odiosa redderet Monialium vivendi rationem si quaedam commoda pro sanitate personali nunc omnibus omnino communia Monialibus denegarentur ratione clausurae; non vero praevideatur mitigatio clausurae ratione boni particularis singularum Monialium.

18. Inter recensitas causas praesertim boni communis societatis et monasteriorum poni debet quoque nova organisatio monasteriorum in foederationem coadunatorum ad cuius regimen et ad prosecutionem honorum a foederationibus intentorum legis clausurae mitigatio imponitur.

19. Summus Pontifex commemorat mitigationem legis clausurae de facto iam in praxi locum habere; dicit enim: "Sancta Sede, pluribus necessitatibus vel utilitatibus matris in dies largius providet, quae iuxta receptum olim iudicium non ita graves existimabantur, ut ob eas clausuram pontificiam infringere liceret vel ipsa eximere" (l. c., p. 10).

Facilius iam nunc a Sancta Sede elargiebantur dispensationes pro egressu e monasterio ratione sanitatis curandae per unum vel aliquot dies vel etiam ad longius tempus, vel ratione laboris in Ecclesia aut in locis monasterio adnexis exercendi vel alia de causa. Uti postea dicetur, per opportunas dispensationes provisum erat illis monasteriis quae opera educationis susceperant (7).

(7) Sacra Congregatio de Religiosis. Normae pro Schola habenda puellarum, Intra Clausuram Pontificiam Monasteriorum:

1. Aliqua cubacula Monasterii ad scholas apta separentur a ceteris partibus aedificii, ad quae puellae per ianuam externam Moniales vero designandae, ut infra dicetur, per ianuam internam accedere possint. Separatio talis sit ut puellae prospicere nequeant in alla cubacula vel hortos Monasterii et vita regularis Sancti monialium detrimentum ne patiantur.

2. Quaedam Moniales aut Magistrae vel Assistentes a Superiorissa cum suo Consilio eligantur, ita ut nemini Religiosarum liceat absque venia regimini se immiscere.

3. Numerus puellarum recipiendarum in scholam conformis sit ad capacitatem locorum et antecedenter determinatus a Superiorissa cum suo Consilio.

20. Alia causa diversi generis commemoratur in Const. Apost. pro legitimanda mitigatione legis clausurae, quae causa bene prae oculis habenda erit cum sermo fiet in concreto de regulis huius mitigationis: securitas nempe atque sanctitas domiciliorum quae hodie magis quam olim tecta sartaque est. Inter fines ad quos clausura ordinabatur et qui ideo vim exercerunt in ipsius ordinationem hic quoque recensetur: impedire ingressum in monasterium illarum personarum periculum constituentium pro castitate Monialium vel pro earundem personalis securitate et libertate, atque praevenire pericula quae Monialibus incumbere poterant si e claustris egrederentur. Nostris diebus, domicilium Monialium, sicuti domicilium aliarum personarum tutius defenditur a lege civili ita ut personae sufficienter securae censerentur etiam absque lege de clausura. Ad hoc bene attendi debet pro definiendis modis quibus clausura signari ac defendi poterit. Praeterea defensio castitatis, licet adhuc sit unus ex finibus clausurae, non est tamen finis praecipuus, et clausura ad hoc non apparet medium omnino necessarium, uti comprobatur ab exercito illarum virginum religiosarum quae Deo mancipatae sunt et extra claustrum virginitatem ac perfectam castitatem servant: non amplius valet illud vetus adagium “mulieri aut murus aut maritus”.

Finis potissimus legis de clausura servanda nunc reponi debet in custodia recollectionis pro vita contemplativa omnino necessaria et etiam in exercitio mortificationis quo quidquid personalem satisfactionem in egressu a monasterio vel in admissione extraneorum in monasterium secum ferret excluditur.

21. Acomodatio regiminis clausurae, firmis manentibus elementis essentialibus et naturalibus, duplici ratione perficitur a Romano Pontifice: 1.º ipsum regimen partialiter immutatur et perficitur, et 2.º a regulis huius

4. Admissio singularum puellarum statuatur a Superiorissa cum suo Consilio.

5. Puellae, quae septem annorum natu minores sunt, in scholam ne admittantur.

6. Puellae modestis utantur vestibus, seposito quocumque ornatu, qui virgines christianas dedecet.

7. Cum finis scholae sit docere puellas bonos mores et christianam doctrinam, haec ante ceteras habeantur disciplinae.

8. Pensio solvenda determinetur antecederet iusta, ne officiat conditioni oeconomicae Monasterii.

9. Quaedam pia mulier saecularis praesto sit in schola ad adstantiam vel comitatum forte necessaria, si id opportunum Ordinarius duxerit.

10. Ianua quae in Monasterium immediate ducit, clausa sit permanenter, ita ut singulis vicibus, cum aperiri debeat, vocetur monialis in interno loco custodiae addicta.

11. Expleto diurno tempore scholae, et omnibus in ordine dispositis pro die subsequenti, ianua externa item et ianua interna duabus clavibus claudantur, quarum una a Superiorissa, alla a Moniali deputanda ab Ordinario loci, asservari debeant.

12. Schola subsit omnino vigilantiae Ordinarii, eiusque praevius consensus in omnibus exquiratur quae ad scholam ipsam pertinent; ipsius quoque erit alias cautelas opportunas statuere ne inconvenientia oriantur.

regiminis, quod nobis et antiquis constat dispensatio aliquibus in casibus praevidetur et ordinatur.

Sufficiens non erat praevidere et normas dare pro dispensationibus obtinendis a regulis classicae clausurae, vita enim regi debet non exceptionibus sed legibus. Clausura Monialium apostolatu vacantium novam ordinationem exspostulabat et huic exigentiae satisfacit Romanus Pontifex inducendo novum typum clausurae pontificiae quae nomen sortitur clausurae minoris, dum praecedens designatur nomine clausurae maioris: utraque tamen est clausura pontificia sive ratione auctoris, sive ratione auctoritatis cui dispensatio reservatur, sive ratione sanctionum quibus ambae muniuntur.

De notis constitutivis et distinctivis utriusque typi clausurae pontificiae, sicuti de possibilitate et de modo dispensationes obtinendi in particulari nunc sermo erit.

II. DE CLAUSURA PONTIFICIA MAIORE

NOTIO ET ELEMENTA

22. Clausura maior illa est quae in Codice iuris canonici continetur sub cans. 600-602: hoc statuitur a Const. Apost. in criterio quod ipsa dat circa clausuram (l. c., p. 12) et in art. IV, § 2, 1.º Stat. Gen. et idem repetitur ab art. VI Instructionis "Inter Praeclara". In utroque documento repetitum decernitur quod clausura Codicis iuris canonici omnino retinetur et confirmatur, tamen ad hoc ut ipsius observantia temporum necessitatibus et locorum adiunctis melius aptetur, praevidetur eius accommodatio quae Sacrae Congregationi de Religiosis committitur (Stat. Gen., art. IV, § 2, 1.º).

23. Accommodatio clausurae maioris ex regula praevidetur sub forma dispensationum a praescriptis Codicis, potius quam per novas normas dandas quibus mutetur eiusdem regimen.

Codex, in can. 601, tantum notas fundamentales seu ipsam generalem obligationem non egrediendi pro Monialibus et non ingrediendi pro extraneis exhibet atque principales exceptiones praevidet: habita ratione vitae quae in istis monasteriis ducitur, necessarium non videbatur novas regulas dare; sufficebat prospicere possibilitatem ulteriorum exceptionum et dispensationum quae a S. C. de Rel. iuxta temporum locorumque adiuncta elargiri valebunt.

Dispensationes quibus perfici poterit praedicta accommodatio induere poterunt etiam naturam mitigationum seu largiorum interpretationum ip-

orum canonum ita ut dispensationes posibles fiant pro causis a Codice praevisis sed late interpretatis v. g. : periculum gravissimi mali (8) et pro causis non praevisis a Codice v. g. : exceptionalis apostolatus.

Mitigationes et largiores interpretationes quae expressè in parte generali Const. Ap. necessariae dicuntur (l. c., p. 10) non solum pro clausura in monasteriis quae operibus vacant, sed etiam "quoad Ordines tantum contemplativos" (ibid.), aliquando aliquid plus requirere possunt quam dispensationes, nempe etiam novas ordinationes vel instructiones quae ipsam legem generalem perficiunt pro omnibus vel pro quibusdam monasteriis tantum; hoc supponitur ab Instructione "Inter praeclara" S. C. de Rel., quae munus sibi commissum accommodandi clausuram maiorem, interpretatur ut munus declarationes dandi (Instr., art. VI), instructionis edendi (ibid., art. VII, 2.) et approbandi constitutiones vel statuta (ibid.) in quibus peculiare normae de clausura maiori continentur.

24. Instructio S. C. de Rel. "Inter praeclara" ipsam notionem clausurae papalis maioris a Const. Apost. traditam complet dicendo ipsam accurate definitam esse in Instr. eiusdem S. C. "Nuper edito" a Romano Pontifice approbata et die 6 Feb. anni 1924 publicata, quae ideo praesenti documento omnino confirmatur.

In aliata Instructione anni 1924 clausura a Codice praescripta illustratur, perficitur et etiam quodam modo adiunctis temporum accommodatur criterium ipsum quod in Const. Apost. sancitur, nempe: praeviendo et ordinando diversas dispensationes quibus datur facultas egrediendi v. g. pro curanda valetudine, pro vigilanda aedificatione novi monasterii, pro translatione in monasterium diversum a proprio, ad hoc ut ibidem officium suscipiatur (Instr. "Nuper edito", III, 1, b), pro cura Ecclesiae exterioris monasterii extra clausuram positam ratione munditiei et ratione cultus (ibid., III, 1, d); vel quibus datur facultas ingrediendi v. g. pro exercitio ministerii praedicationis in choro vel in aula capitulari, quando ad crates commode praedicari non potest (ibid., III, 2, 1). Eadem de causa citata Instructio late interpretatur can. 600, IV et ratam habet admissionem ad monasteria ab ipsa Antistita permittendam, illorum omnium quorum opera necessaria est in monasterio ipso, in cella vinaria, in horto, in officinis, in stabulis (ibid., III, 2, o).

Enumeratio activitatum quae in monasterio exercentur et generum personarum quarum collaboratio, et ideo ingressus in clausuram, necessaria

(8) De facto S. Sedes per dispensationes matris providet pluribus casibus necessitatis vel casibus utilitatis qui antea non videbantur sufficienter legitimare dispensationem.

est, nequit dici in hac Instr. taxativa; Instructio enim, ut ex contextu apparet, est interpretatio verborum can. 600, 4.º “aliisque quorum opera sit necessaria”, ideo quaevis activitas quae legitime in monasterio exerceri valet, si personarum externarum interventum postulat, legitima causa fit illas externas personas admittendi.

Nostris diebus praesertim, cum necessitas urgeat conditionibus economicis monasteriorum providendi activitates reddititias, inducendo, quam opportuna apparet provisio in allata Instructione contenta. Non solum activitas aliqua non est excludenda quia secumferret quasdam dispensationes a clausura, sed Ecclesia materno in istis casibus providet tribuendo ipsi Antistitae facultatem admittendi personas necessarias pro explicatione huiusmodi activitatis, et posset dici etiam pro earundem instauratione.

Ut Antistita securius in usu suae facultatis procedat et, ex una parte anxietates et ex alia parte relationes evitentur, Instructio normam Codicis sequendo, urget Antistitae obligationem prius obtinendi approbationem saltem habitualement pro singulis personis necessariis in monasterio.

Aliquotenus in Instructione “Nuper edito” immorati sumus, quia ex ipsa una cum Codice dignoscuntur notio, elementa et extensio clausurae quae a recentis documentis confirmatur et uti maior consideratur.

25. Ex tota mente Const. Apost. et etiam ex expressis verbis supra *relatis clausura maior licet iam aliquatenus nostri temporis adiunctis accommodata*, adhuc ulteriorem accommodationem supponit: ex quo deduci potest quod lata interpretatio et mitigatio praevisae in Const. Apost. afficiunt praescripta Codicis et praescripta Instructionis “Nuper edito”; et ideo praescripta quae in ipsa favent late, alia quae serias difficultates secum ferre valent striote interpretanda esse.

Instructio “Inter praeclara” dicit clausuram maiorem constitui a supra *relatis praescriptis “salvis declarationibus quae sequuntur, quasque Constitutio Sacrae Congregationi faciendas committit (art. IV, § 2, 1.º) ut illius observantia temporum necessitatibus adiunctisque locorum prudenter accommodetur” (Instr., art. VI)*. Ex *relatis verbis accommodatio facienda praevidetur iuxta necessitates temporum et iuxta adiuncta locorum et, uti iam innuimus, accommodatio sumere valet 1.º formam peculiarium normarum et 2.º formam dispensationum a generalibus normis*.

26. *Peculiares normae sive circa egressum Monialium e monasterio sive circa extraneorum admissionem contineri possunt in Instructionibus*

Sanctae Sedis iam editis (9) et in futurum edendis (10) atque contineri possunt in Constitutionibus seu statutis a Sancta Sede approbatis (Instr., art. VII).

Peropportuna censenda est possibilitas iuris particularis etiam a iure communi aliquatenus diversum in hac materia: exigentiae enim diversae esse possunt iuxta loca et iuxta religiones seu monasteria.

Statuta et constitutiones, quae supponuntur a foederationibus monasteriorum, praevidere debent in primis illos casus exitus et ingressus ad fines ipsarum foederationum necessarias: ideo 1.º illos qui requiruntur pro regimine, v. g. pro coadunandis conventibus seu capitulis et consiliis, pro visitationibus peragendis; 2.º illos qui requiruntur pro collaboratione fraterna, v. g. pro mutuacione religiosarum ad munera exercenda vel ad laborem discendum seu praestandum et quovis modo per transitum temporaneum sodalium juxta fines foederationis ad bonum monasterii a quo vel ad bonum monasterii ad quod aut immediate ad bonum ipsarum Monialium; 3.º illos qui requiruntur pro meliore formatione spirituali vel technica, v. g. pro formatione in novitiatibus vel alia probatione in domibus communibus, etc.

In istis casibus exitus et ingressus, a iure particulari ordinati, non apparet uti exceptiones a lege communi sed potius uti complementum, nec de se supponunt interventum Ordinarii loci. Utiliter praescriberetur quod in quibusdam adiunctis Ordinarius moneatur: ipsi enim commissa est custodia clausurae papalis, v. g. pro translatione definitiva vel temporaria Monialium.

27. Dispensationes a generalibus normis contentis in Codice et in Constitutione "Sponsa Christi" et in Instructionibus Sanctae Sedis, quibus accommodatio clausurae perficietur in singulis casibus, ita ordinantur 1.º earundem concessio sive pro egressu Monialium, sive pro admissione extraneorum exclusive Sanctae Sedi reservata dicitur, ita ut vel immediate ab ipsa proveniat vel eius nomine vel delegatione ab aliis v. g. ab Ordinario loci, ab assistente religioso (Instr., VIII, 1.º); 2.º praevidetur facultas dispensandi ab aliis exercenda nomine Sanctae Sedis quae diversas formas sumere potest, scilicet facultas dispensandi potest esse ab homine, id est per actum personalem auctoritatis supremae mediante rescripto vel alio modo expressum quo alicui facultas committitur: hoc in casu, generatim,

(9) Quoad hanc materiam post Codicem edita fuit a S. Congregatione, die 6 februarii 1924 instructio "Nuper edito" (A. A. S., XVI, 1924, p. 96).

(10) Interpretatio et applicatio Constitutionis Apostolicae comissa est S. Congregationi de Religiosis. (Cfr. A. A. S., XL, 1951, p. 15.)

concessio afficit vel certum spatium temporis, et intra hoc tempus omnes casus occurrere possunt, vel certum casuum numerum, et hoc in favorem plurium monasteriorum vel unius tantum. Facultas dari potest etiam a iure, quod habetur cum in ipso iure particulari, id est in constitutionibus, statutis, etc. a Sancta Sede approbata confertur quibusdam determinatis personis ius permittendi egressum vel ingressum contra legem clausurae. In casu concessionis non limitantur ad spatium temporis vel ad numerum casuum sed habituales sunt et respiciunt omnes casus qui occurrere possunt.

Tali forma poterit ordinari translatio vel mutuatio Monialium pro monasteriis non foederatis et etiam concessionem egrediendi pro sanitate curanda, pro arte addiscenda, pro necessitatibus laborum.

Huiusmodi facultates generatim dabuntur Ordinariis vel Assistentibus religiosis (11).

28. Instructio (IX, 2.^o) ordinat usum harum facultatum dispensandi, sive ab homine sive a iure oriantur, praescribendo quod dispensationes ab istis delegatis a Sancta Sede vel eius nomine ius exercentibus dari debent iuxta normas quae apud ipsam Sanctam Sedem in usu sunt nempe: servando in primis eius instructiones et sese confirmando eiusdem praxi ac stylo, v. g. quoad causas quae sufficientes censentur. Insuper, semper prae oculis habitis stylo ac praxi Sacrae Congregationis, in dispensationibus clare exprimi debent conditiones et cautela quibus concessionem subiiciuntur: ideo exprimi debet duratio permissionis egrediendi, definiri debent cautela servandae in usu permissionis, v. g. quibus horis non liceat egredi, an egrediens cum sociis procedere debeat, etc. Pariter permissio personas extraneas admittendi definiat cautelas, ne occasione harum personarum incommoda in monasterio sequantur (12).

29. Ne abusibus via spernatur per usum harum facultatum, S. C. expresse decernit quod causae pro dispensationibus petendis a Sancta Sede,

(11) Quando res Superiorissae Foederationis vel Monasteriorum decidenda relinquatur, tunc non per facultatem dispensandi, sed per constitutionem alicuius normae particularis ordinabitur.

(12) Cum agitur de ingressu in Monasterium sequentes clausulae a S. Congregatione de Religiosis apponunt rescripto: "Ad normam Instructionum S. Sedis, ita tamen ut ingressus fiat post ortum solis et egressus ante solis occasum omnino sequatur, cauto in super ne quod inconveniens oriatur."

In rescripto quo conceditur facultas descendendi in Ecclesiam dicitur: "Prius exeant ab ecclesia omnes extranei ac etiam confessarius alicuique monasterio inservientes: portae claudantur et claves Superiorissae tradantur. Moniales vero quae se conferunt in Ecclesiam, comitetur aliqua ex senioribus. Munditie et ornatu absolutis porta, per quam aditus interior ad Ecclesiam patet, duplici clavi claudatur, quarum una a Superiorissa, altera a Sanctimoniali ab Ordinario deputanda custodiatur, et non aperiatur nisi in casibus enunciatis et cum praescriptis cautelis."

In aliis rescriptis quibus conceditur facultas egrediendi, generatim praescribitur ut egressus eveniat horis diurnis, vel cautela determinandae relinquuntur Superiori executioni mandante Rescriptum.

et ideo etiam pro dispensationibus dandis ab illis qui peculiaribus facultatibus potiuntur, debent esse "proportionate graves" (Instr., VIII, 2°). Gravitas causarum dignoscitur ponderando bonum quod per dispensationem obtinetur et damnum vel periculum damni quod monasterio vel religiosae imminet; damnum afficere potest vel defensionem castitatis vel tutelam recollectionis ad vitam contemplativam omnino necessariam aut consistere potest in non observantia legis ad haec bona tuenda destinatae. Sive bonum obtinendum sive damnum vitandum pendent a diversis adiunctis temporum, locorum ac personarum, et ideo ad haec omnia attendi oportet. In iudicio ferendo de sufficientia causae utillime inserviet criterium generale a Romano Pontifice in parte expositiva Const. Apost. datum, id est civium sensum saepe postulare latam interpretationem causarum sufficientium pro egressu e clausura.

Practice ad dignoscendum quaenam sit causa proportionata attendatur ad stylum ac praxim S. Congr. In genere dici potest quod admittuntur uti causae sufficientes illae quae respiciunt bonum commune ipsius monasterii, sive spirituale sive etiam oeconomicum, dummodo hoc ultimum non supponat egressus nimis frequentes; admittuntur etiam causae quae respiciunt bonum privatum alicuius religiosae, si agitur de sanitate curanda iuxta mores hodiernas, vel de meliori bono spirituali uti esset formatio novitiarum vel professorum votorum temporariorum.

30. In actuali praxi S. Congr. uti sufficientes agnoscuntur causae quae sese referunt 1.° ad praeparationem foederationum; 2.° ad praeparandam activitatem reddititiam pro sustentatione monasterii; 3.° ad translationem novitiarum vel Monialium pro ipsarum bono spirituali vel pro munere gerendo in alio monasterio; 4.° ad curationem sanitatis uti dictum est: in hoc ultimo casu, permissio datur ad unum tantum diem vel ad paucos dies et aliquando etiam ad longius tempus.

Peculiares normae vel saltem dispensationes necessariae erunt pro monasteriis illis quae, licet clausurae maiori subjecta, vacant quibusdam ministeriis apostolicis. Iuxta necessitates horum ministeriorum concessionem pro ingressu extraneorum et etiam pro egressu Monialium dari poterunt prae oculis habitis normis pro clausura minori vigentibus, servata ideo semper distinctione inter partem monasterii operibus et partem communitati destinata. Iuxta casus, sufficiet pro operibus aliqua tantum loca intra clausuram prope ingressum reservare, et tunc licentiam dare Monialibus, operibus destinatis, ad haec loca accedendi; vel forsitan melius erit destinare quaenam loca extra clausuram, cum consequenti facultate pro Monialibus ibidem accedendi. Haec omnia pendent a genere et ab exigen-

tiis operum, a numero accedentium, a materiali dispositione ipsius monasterii, etc.

31. Principium vero tenendum hoc est: clausura maior severior sit et maneat quam clausura minor ideo dispensationes et exceptiones ab ipsa odiosae censentur; in tantum dantur in quantum necessariae sunt. Si aliquando clausura maior ita extendenda sit ut non differat a minore optatius vel forsitan necessarium erit clausuram minorem assumere pro tempore quo exigentiae perdurabunt. Utraque porro est clausura papalis et componitur cum characterem Monialium et non constituit categoriam dignitatis intra genus Monialium. Consentaneum non videtur monasteria de facto habere clausuram iisdem normis ordinatam nomine vero diversam.

SUBIECTUM CLAUSURAE PAPALIS MAIORIS

32. Tenentur assumere clausuram papalem maiorem monasteria omnia in quibus Moniales de facto emittunt vota sollemnia et non occupantur in ministeriis natura sua cum extraneis personis commercium requirentibus (Stat. Gen., art. IV, § 2, 2.º; Instr., art. V).

33. Non impedit clausuram maiorem nec excusat ab obligatione illam suscipiendi occupatio Monialium in quibusdam ministeriis quando haec non induunt naturam operum stabilium, sed quid omnino temporaneum sunt vel quibusdam tantum Monialibus limitata apparent.

Ipsa Const. Apost. praevidet casus monasteriorum quae retinent vel assumunt clausuram maiorem et, licet ex instituto unice vitae contemplativae vacent, de facto quaedam opera exercere valent. In parte expositiva et doctrinali Constitutionis (l. c., p. 12), dicitur clausuram maiorem assumi debere ab illis monasteriis quae non habent stabilia opera apostolatus educationis, caritatis, recollectionis, etc.

In Statutis Generalibus, art. IV, § 3, 2.º, sancitur quod clausura minori subduntur monasteria illa quae, sive ex instituto, sive ex concessione talia ministeria suscipiunt in quibus illae tres conditiones locum habent; 1.º plures religiosae, 2.º notabilis pars domus, 3.º habitualiter operibus apostolatus destinatae habentur. Ideo monasteria alia in quibus istae tres conditiones locum non habent sese subiicere oportet clausurae maiori.

Uti postea dicitur, adiuncta locorum talia esse possunt quod conveniat vel omnino necessarium sit ad Monialium omnium operam recursum habere pro diversis ministeriis, cum vita contemplativa compatibilibus exercendis.

34. Casus dabuntur in quibus dubium exurgit an urgenda sit clausura maior vel minor; stante dubio obiectivo censemus libere eligi posse

clausuram maiorem vel minorem. Ex hac libera electione nullum inconveniens sequetur: ingressus et egressus quovis in casu unice permittuntur ratione operum apostolatus et in quantum ab operibus requiruntur.

Ipsa Sancta Sedes, occasione petitionum facultatum vel dispensationum, videbit an potius operibus melius providendum sit per concessionem clausurae minoris: concessio tunc cessabit cum opera cessabunt. Si v. g. gerendum sit a Monialibus institutum educationis quod postulet egressum religiosarum non solum e parte reservata communitati sed etiam, non raro, egressum e monasterio et quod ex alia parte requirat ingressum alumnarum et plurium aliarum personarum, melius erit tunc applicare illam figuram clausurae papalis quae consulto pro istis casibus constituta fuit.

Criterion praee oculis habendum ab illis quorum interest hoc potest esse: amplitudo dispensationum necessariarum pro ingressu et pro egressu illarumque duratio; ita: an aliquae tantum vel plures Moniales debeant frui dispensationibus, an sit necessarium etiam frequenter e monasterio egredi, an praeter alumnas plures aliae personae debeant admitti intra ambitum monasterii, etc.

SANCTIONES

35. Constitutio expresse commemorat clausuram Monialium papalem esse, praeterquam ex auctoritate a qua procedit, etiam ex sanctionibus quibus ipsa interius et exterius defenditur. Cum clausura papalis maior illa sit quae in Codice statuitur, omnino concludendum erat ipsam defendi sanctionibus quae a Codice comminantur (can. 2,342, nn. 1, 3): ut omne dubium expellatur, hoc explicitis verbis statuitur in art. X Instructionis "Inter praeclara".

III. DE CLAUSURA PONTIFICIA MINORE

Accommodata renovatio iuris Monialium peculiariter elucet in introductione novae speciei clausurae papalis, quae minor vocatur: haec clausura respondit exigentiis illarum Monialium quae, opera apostolatus cum vita contemplativa harmonice componunt; ipsa viam aperit verae renovationi plurium monasteriorum.

CRITERIA PRO ORDINATIONE

a) *Criterion generale*

36. Particulari ratione applicantur clausurae minori criteria supra exposita circa regimen clausurae papalis: etiam clausura minor conser-

vare debet notas essentielles et quasi naturales clausurae papalis et de se superior permanere quam clausura praescripta pro Congregationibus religiosis mulierum (can. 600) et pro Regularibus viris.

b) *Criteria particularia*

37. Constitutio Apostolica in parte doctrinali enuntiat finem introductionis huius peculiaris speciei clausurae papalis, quae minor dicitur: opera educationis et charitatis quibus plura Monasteria, sive ex instituto, sive ex legitima concessione, vel etiam ex impositione vacare contingit nostris diebus non amplius illa ratione exerceri possunt, quae antea in usu erat (13), novi mores sociales circa scholas et educationem puellarum, vel circa earum reeducationem vel circa exercitium charitatis et pars quam sibi vindicat auctoritas civilis circa praedicta opera novam methodum et novas exigentias induxerunt, quae non amplius permittunt haec opera exercere in loco omnino classicae clausurae subiecto, scilicet clauso illis personis quae legibus clausurae passivae non tenentur, i. e. extraneis Monasterio; quae novae exigentiae non permittunt personas, quibus opera diriguntur, segregatas conservare a mundo exteriori, et, aliquatenus, neque permittunt ipsas personas quae operibus incumbunt omnino segregatas permanere a mundo exteriori.

Nova methodus et nova ratio haec opera explendi eadem opera "vix compatible vel proprius incompatible" reddunt "cum aliquibus e classicis clausurae pontificiae regulis" (l. c., pp. 9-10). Ideo clausura classica sapienter mitiganda est ut cum illis operibus componi possit. S. Sedes in accomodatione clausurae inducenda principaliter prae oculis habet statum et exigentias Monialium operibus apostolatus incumbentium, sed hanc accomodationem non limitat solummodo istis Monialibus; enimvero criteria et normas dat quibus clausura pontificia minor aptari valeat Monasteriis omnibus quae nequeunt servare clausuram maiorem, sed tamen sufficientia elementa habent quibus eorum clausura notabiliter differt a clausura aliorum religiosorum.

38. Criteria atque limites mitigationis haec habentur: 1.° servare illa elementa quae clausurae "necessaria atque insita sunt" (Const. Ap., l. c., p. 12; Stat. Gen., art. IV, § 3, 1.°); 2.° abrogare illa quae "vel iam non prosunt, vel maius bonum impedire valent" et temperare "quae vix vel ne vix quidem observari possunt" (Const. Ap., l. c., p. 10); 3.° clausuram complere atque perficere ad hoc ut quam maxime respondeat finibus clau-

(13) Revera clausura papalis Monialium, etiam saeculis elapsis, difficiliter conciliari poterat cum huiusmodi operibus.

surae praestitutis et distincta maneat a clausura Congregationum mulierum; 4.º “vitam contemplativam Monasterii protegere et efficaciter fovere debet” (Instr., art. XI, 3.º); 5.º clausura ita accomodari debet ut opera apostolatus “rite et fructuose exerceri valeant (Instr., art. XI, 1.º); 6.º tandem, “securam et omnibus patentem” reddere debet “observantiam et custodiam castitatis solemnem” (Instr., art. XI, 2.º). Pericula vero sub hoc respectu, attenta hodierna maiore securitate et sanctitate domiciliorum nostro tempore, minora sunt quam saeculis antea factis.

Recensita criteria generaliora sunt et exhibent figuram genericam clausurae pontificiae minoris, applicabilem omnibus Monasteriis in quibus impossibilis est clausura maior et quae tamen servant sufficientem clausuram a characterem monastico requisitam (Stat. Gen., art. IV, § 5, 2.º).

39. Sequuntur deinde criteria magis concreta. Instructionis, art. XI, 4.º dicit: “Ministeria quae Ecclesia his Monasteriis consulto commisit, ita sub hac clausura papali minore cum vita contemplativa componenda sunt ut haec salva prorsus sit ipsaque rite et fructuose exerceri valeant”.

Haec clausura libera sit oportet ab omnibus coarctationibus quae difficultates constituere valent pro exercitio operum. Non sufficit praevidere dispensationes; harmonisatio moderati apostolatus cum vita contemplativa pro istis monasteriis fieri debet non via exceptionum, sed uti norma seu lex eorum instituto respondens. Clausura ideo respondeat exigentiis quae operibus inhaerent, sive ex parte Monialium opera exercentium quoad praeparationem necessariam, quoad perfectionem earumdem scientiae et culturae, quoad relationes necessario habendas cum auctoritate civili et cum institutionibus, quibus spectat aliquis interventus circa opera vel quae utilem assistentiam eisdem praestant; sive ex parte personarum quibus opera destinantur, sive tandem ex parte omnium illorum qui interesse aliquod circa opera habent vel operibus collaborationem praebent.

40. Legitimae censentur omnes illae exigentiae quae inmittuntur in perfectione et in efficacia operum.

Supposito quod quaedam opera compatibilia sint cum vita contemplativa et cum clausura papali Monialium, quod faciliter apparere potest ex approbatione instituti, ad haec opera ordinati, vel ex concessione a competente ecclesiastica auctoritate facta, tunc omnino teneri debet quod opera omnia cuiusvis generis, exercenda sunt illa methodo et ratione quae ad earumdem perfectionem et efficacitatem pertinent. Opera educationis, caritatis et huiusmodi, quibus Moniales incumbunt, nequeunt differre quoad elementa necessaria et vere utilia ab operibus quae a congregationibus religiosis vel ab aliis institutis ecclesiasticis geruntur. Scholae Monialium,

sive pro alumnis internis sive pro externis, non debent et non possunt in minore perfectione quam aliae scholae inveniri ex difficultatibus quae proveniunt a clausura papali et hoc quoad substantiam et quoad integritatem ipserum operum (14). Si quaedam insociabilitas appareret inter leges clausurae et exigentias operum clausura cedere debet et non opera: clausura aptanda est operibus et non vicissim; ipsa enim est medium, opera vero habent rationem finis pro istis Monialibus.

41. Ratio et methodus in exercitio operum apostolatus adhiberi solitae non eadem sunt in omnibus regionibus, illarum exigentiae differri possunt iuxta loca et tempora, consequenter, regimen clausurae minoris in concreto diversitatem admittit pro diversis locis.

Clausura papalis ita accommodata, quoad illa omnia quae non habent immediatam cum operibus connexionem, nequit reduci ad clausuram congregationum religiosarum, neque ad ipsam clausuram papalem regularium virorum (Stat. Gen., art. IV, § 5, 1.^o), licet possit admittere quasdam limitationes relate ad clausuram papalem maiorem.

NOTIO

42. Constitutio Apostolica (l. c., p. 12), Statuta Generalia (IV, § 2), Instructio Sacrae Congregationis (art. VI) claram notionem et definitionem dant clausurae maioris, pro clausura vero minore Instructio nullam definitionem, sed tantum criteria, quibus informatur, exhibet. Constitutio Apostolica in parte doctrinali et in Stat. Gen. asserit quod ipsa est "clausura pontificia temperata atque hodiernis necessitatibus accommodata" (l. c., p. 12) et quod ex antiqua clausura illa retinet" quae ad ipsius naturalem rationem conservandam ac vindicandam" in Instructionibus Sanctae Sedis definiuntur (Stat. Gen., IV, § 3).

Ut patet, data descriptio est omnino generica et satis indeterminata: revera difficiliter poterat clausura minor pressius describi, praesertim cum consideratur quod ipsa applicanda est monasteriis cum operibus apostolicis et aliquando etiam aliis monasteriis carentibus conditioinibus a stylo curiae et a iurisprudencia requisitis pro clausura maiore.

43. Definitio et ordinatio clausurae minoris facienda relinquitur S. C. de Rel. per Instructiones ab ipsa dandas (Stat. Gene., IV, § 3, 1.^o).

De facto in Instructione "Inter praeclara" definitio et ordinatio dantur pro monasteriis apostolatum exercentibus, sed liceat asserere quod per praefatam Instructionem non est exhausta ordinatio clausurae minoris:

(14) Si quaedam tamen haberentur vere acesoria, quae possent habere et omitti, iuxta diversas opiniones et praeferentias, tunc non adesset ratio sufficiens clausuram mitigandi.

novae Instructiones iure expectari possunt pro concreta ordinatione clausurae minoris iuxta diversos casus et insuper ulterior definitio dari poterit in constitutionibus et statutis particularibus.

44. Instructio "Inter praeclara" dando notionem clausurae maioris explicite asserit ipsam ordinari praeterquam a Codice etiam ab Instructio-
ne eiusdem S. C. de Rel. "Nuper edito" diei 6 Febr. 1924; nullibi autem haec Instructio commemoratur pro clausura minore, ex quo oritur quaestio an eiusdem praescriptiones, v. g. circa modum constituendi et signandi clausuram, circa crates, etc. adhuc vim servant etiam pro clausura minore.

Responsio videtur desumenda ex can. 22: 1.º ex silentio circa Instructionem "Nuper edito" nequit modo absoluto affirmare ipsam Instructionem amississe quamlibet vim quoad monasteria clausurae minoris; 2.º Constitutio Apostolica et Instructio "Inter praeclara" de facto ordinant clausuram papalem minorem, non totam ipsius materiam de integro renovant, sed in quantum hoc necessarium aut conveniens sit ut exercitium operum harmonice componi possit cum vita contemplativa et cum requisitis essentialibus ipsius clausurae classicae. In concreto, de integro ordinatur clausura circa partem monasterii operibus destinata non autem circa alias partes, id est circa partem communitatis vel locutoria, sacritiam, etc. Ex hoc affirmare possumus allatam Instructionem non vigere circa partem operibus destinata de qua omnino nova legislatio existit: ideo illa quae dicuntur de fenestris (II, 1), de ambulacro supra tectum monasterii (III, 1. c.), de cratibus in collocatoriis (V), non videntur urgenda pro locis operibus destinatis: alumni vel alumnae et aliae personae quae in dictis locis versantur non tenentur legibus de clausura. Non vero adest ratio sufficiens affirmandi illas dispositiones vim amississe pro aliis locis communitati destinatis: v. g. pro collocatoriis ad quae accedunt personae non ratione operum, pro hortis et aedificiis in quibus solo modo Moniales accedere valent.

Ipsa spiritus quo accommodatio clausurae minoris ducitur non necessario secumfert hanc abrogationem regularum antea existentium; derogatio fit tantummodo in quantum hoc necessarium censetur ratione operum et non maiori extensione.

Ex silentio tamen posset dici Sanctam Sedem non ita urgere praefatam Instructionem "Nuper edito" ut non sit possibile in statutis particularibus vel in aliis instructionibus aliter ordinare clausuram horum monas-

teriorum etiam quoad partes operibus non destinatas (15). Hoc tamen supponeret circumstantias omnino particulares.

45. Illa quae diximus videntur confirmationem habere ex eo quod in decreto quo conceduntur vota solemnia atque clausura papalis urgentur, mentio amplius non fit Instructionis “Nuper edito”.

Quis opponere posset iuxta ultima documenta pontificia clausuram minorem servare tantum elementa essentialia vel necessaria clausurae papalis classicae, nonnullas vero normas Instructiones “Nuper edito” non posse censi inter elementa necessaria vel connaturalia clausurae et ideo non retinere vim. Responderi valet: praedicta verba seu criteria Constitutionis Apostolicae potius praebere limites intra quos fieri debet vel potest accommodatio clausurae minoris, scilicet: intacta servanda elementa definita ut essentialia et necessaria; non eo ipso vero in arbitrio privatorum relinquit determinare quatenam sint elementa uti non necessaria considerata et proinde libere omittenda. Accommodatio facienda etiam circa elementa accidentalialia in materia non de integro ordinata a novis documentis, ab ipsa Sancta Sede statui debet (16).

Tandem liceat animadvertere non raro normas contentas in Instructione “Nuper edito” reassumi in Constitutionibus et hoc forsitan iam ante publicationem praedictas Instructionis, quo in casu, absque dubio, normae integram vim suam servant.

RÉGIMEN CONCRETUM

Regimen concretum huius clausurae in Instructione “Inter praeclara” (art. XI, XVI) exhibetur.

a) *Divisio monasterii*

46. S. C. in allata Instructione ordinat clausuram monasteriorum operibus incumbentium ipsis applicando praescripta canonum 599, § 1, et 604, § 2, ex quo sequitur aliquod elementum magni momenti in clausura minore; nempe divisio aedificiorum monasterii clausurae subiectorum in duas partes, ex quibus una reservanda est “habitationi Monialium vitaeque monasticae exercitiis”, alia vero “operibus” addicitur (Instr., XI, 5.^o).

(15) Praevisio clausurae minoris pro Monasteriis sine operibus apostolatus sed in quibus deficerent condiciones requisitae pro clausura maiore, posset consequentias habere etiam circa elementa statuta in Instructione “Nuper edito”. Adiuncta talia esse possunt pro clausura minore, et aliquando etiam pro clausura maiore, ut moraliter impossibile sit, v. g., habere murum ita confectum, prouti mos fert; si nequit haberi murus, certe praevideri poterit aliud medium circumscribendi et defendendi clausuram, dummodo finis obtineatur: ita saepe, rete ferreum, iabula lignae, etc.

(16) Certe S. Sedi proponi poterunt omnes accommodaciones quae intacta relinquant elementa necessaria seu nativa clausurae.

47. Revera totum aedificium monasterii Monialium hoc modo in tres partes divisum evadit: dantur enim partes in ipso quae nec Monialibus, nec proprie operibus destinantur et quae iuxta vigentes normas extra clausuram permanere debent: ita ecclesia publica, sacrarium, hospitium pro advenis, collocatorium (can. 597, § 2), atrium ipsius monasterii. Revera istas partes censendae sunt extra septa monasterii, saltem ad effectum clausurae. Can. 2.342, § 2, punit Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601: hic canon vetat Monialibus egressum e monasterio; unde nomine monasterii intelligi debet pars clausurae subiecta. Can. 1.267 vetat custodire sanctissimam Eucharistiam intra septa monasterii, unde ecclesia monasterii in qua de facto conservetur censetur extra septa. In Statutis pro sororibus externis, editis a S. C. de Rel., diei 16 Iulii 1931, pars domus in qua ipsae sorores externae commorantur censetur extra monasterium, sed monasterio adnexa (n. 6): illarum novitiatus intra claustra monasterii dicitur peragendus, ita ut si extra septa clausurae fieret invalidus esset (n. 27).

Reservato nomine monasterii partibus aedificii clausurae etsi minori subiectis, tunc istud monasterium, ad effectum clausurae, in duas partes dividi censetur.

48. Criterium divisionis hoc est: una pars reservatur pro operibus explendis, alia pro habitatione Monialium et pro exercitiis vitae monasticae. Can. 599, § 1, a quo norma desumpta est, dicit tantum "separata saltem aedis pars... religiosorum habitationi reservetur", et in par. 2 commemorat "loca extra clausuram alumni externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata".

49. Attento hoc criterio, in concreto reservari debent Monialibus loca illa in quibus ipsae commorantur v. g. cellae, infirmaria, etc. et illa in quibus actus vitae communitatis ponuntur, ita aula capitularis, aula pro recreationibus, aula pro studiis, etc.

50. Operibus vero reservanda sunt illa loca, posita intra septa monasterii, in quibus opera apostolatus exercentur vel quae exercitio apostolatus addicuntur: ideo certe in hac parte ponendae sunt aulae omnes in quibus accedere debent alumni vel alumnae et personae quaevis in quarum favorem apostolatus educationis, charitatis, spiritualis auxilii, etc. dirigitur; ergo aulae scholarum, loca exercitationum practicarum, loca in quibus illae personae actus pietatis, vel recreationis, etc. ponunt.

51. Questio moveri potest pro locis in quibus formaliter non exercentur apostolatus nec ipsa materialiter destinantur personis quae sunt finis apostolatus, sed in quibus tamen labor peragitur etiam operibus apostola-

tus vel praedictis personis destinatus: ita, quaestio moveri potest de locis illis in quibus cibi parantur, vel vestes mundantur, vel utensilia renovantur, etc. Ista loca et isti labores necessaria sunt propter apostolatam cui Moniales vacant, videtur vero non posse dici quod ibi fit apostolatus vel quod illi labores sunt labores vel ministeria apostolatus.

Egressus e partibus communitati reservatis, uti postea dicitur, permittitur ratione apostolatus illis personis quae destinantur quomodolibet ad eius exercitium: non videntur verificari istae conditiones in Moniali quae ad coquinam vadit ut cibus paret pro alumnis et pro communitate.

Si verba, sive can. 599, § 2, sive Instru., art. XI, 5.º; XIII, 1.º; XIV, prouti sonant sumuntur videntur potius indicare loca apostolatus operibus destinata vel addicta illa esse in quibus personae in quarum favorem exercentur opera accedere possunt et debent praecise ad hoc ut apostolatu frui possint.

Huic interpretationi respondet etiam ratio legis, quae clausuram papalem mitigat intra fines tantum requisitos a ministeriis implendis eamque complet ad vitandum, quominus ratione ministeriorum clausura classica plus dispareat quam necessarium vel utile sit: Constitutio Apostolica dicit clausuram classicam temperari in illis quae "vix vel ne vix quidem observari possunt (l. c., p. 12).

52. Aliter dicendum esset si alumni vel alumnae in monasterio commorantes vel ad ipsum accedentes etiam praedicta loca adire deberent pro laboribus addiscendis.

Cum vero habentur loca quae unice inserviunt operibus apostolatus, v. g. illa quae inveniuntur in aedificio separato a domo in qua Moniales commorantur, tunc illa loca credimus considerari posse uti destinata operibus, hoc sensu quod fiunt quid accessorium connexum cum parte aedificii operibus destinati et ideo regulis quibus regitur illa pars domus subiiciuntur.

Loca autem quae servitio communitatis simul et servitio operum destinantur potius consideranda sunt ut accessorium relate ad partem communitatis: non habetur ratio in casu auferendi severam clausuram.

53. Quis oponere posset loca in quibus peraguntur servitia materialia, cum ministeriis connexa, dici valere ministeriis destinata, ratione huius connexionis; servitia enim fiunt "ratione vel saltem occasione ministeriorum" et, sicuti ratio vel occasio ministerii exerciti legitimum reddit ingressum extraneorum in partes monasterii certe operibus destinatas, ita occasio ministerii legitimum reddere potest transitum Monialium a parte communitatis ad partes operum. Obiiciens addere posset canonem 599, § 1,

clausurae subiicere tantum partem monasterii habitationi religiosarum reservatam et Instructionem "Inter praeclara" (art. XI, 5.) addere, quod censentur reservatae communitati illae partes in quibus ponuntur exercitia vitae monasticae, sed coquina, lavatoria, etc. in oppositione ad aliam partem monasterii, non sunt illa in quibus Moniales habitant vel in quibus ponunt exercitia vitae monasticae. Tandem addere posset quod can. 604, § 2, applicans praescriptum can. 599, domibus congregationum religiosarum virorum et mulierum, in quibus exercentur ministeria frequenter stricte interpretatur ut communitati reservata censeantur tantum illa loca quae exclusive communitati vel eiusdem personis inserviunt.

54. Praeter haec omnia argumenta quis dicere posset quod exercitium caritatis et plura opera ministerii non exercentur tantum porrigendo cibum aegrotis vel praebendo instructione in scholis, etc. sed etiam per praeparationem ipsius cibi eiusque distributionem alumnis et in genere exercentur haec opera apostolatus ponendo omnes illos actus qui accessorii sed necessarii habentur relate ad opus ministeriale principale. Unde aliquomodo ministerium exercent etiam personas applicatas operibus materialibus et, saltem mediate, ministeriis ordinantur etiam loca in quibus actus materiales ponuntur.

55. Argumenta allata, licet non evincant et non obligent ad admittendum quod loca praefata ad effectum clausurae sunt necessaria consideranda uti destinata operibus, permittere saltem valent ipsa extra partem communitati reservatam ponere quando plures personae, ratione vel occasione operum, habitualiter vel frequenter debent ad illa accedere, v. g. personae auxiliares operarii etc. Tunc ipse finis legis non posset contra hanc dispositionem invocari.

Videant ergo illi quibus committitur instauratio clausurae an haec loca ponenda sint inter partes aedificii operibus destinatas (17).

b) *De materiali separatione diversarum partium*

56. Constitutio sancit pro omnibus Monialibus clausuram cum caractere papali ratione auctoris et ratione defensionis, pro monasteriis vero operibus incumbentibus inducit clausuram papalem minorem accurate definiendam et ordinandam in Stat. Gen. et in Instructionibus Sanctae Sedis (l. c., pp. 12-13).

(17) Destinatio alicuius loci Communitati vel operibus secumfert habitalem et continuam reservationem ipsius ad usum Communitatis vel operum; hoc non impedit tamen quominus, legitimis de causis, mutationes in destinatione inducantur. Ille cui, ad normam can. 597, § 3, pertinet fines seu limites clausurae determinare, poterit, supposita legitima mutatione destinationis, etiam limites clausurae mutare. Ita, libera facta parte aedium operibus destinata, prout accidit tempore vacationum aestivarum, nonnulla et etiam omnia loca poterunt Communitati destinari; consequenter extendentur limites clausurae severioris.

Art. IV, § 3, 1.º Stat. Gen. dicit quod clausura papalis minor “illa ex antiqua clausura Monialium retinebit... quae ad ipsius naturalem rationem conservandam ac vindicandam necessaria in Instructionibus expresse definiuntur”. Alia ergo elementa clausurae papalis classicae quae in Stat. Gen. vel in Instructionibus Sanctae Sedis non commemorantur vim obligandi amittunt et abrogata censentur, licet forsitan uti norma directiva haberi possint vel etiam a iure particulari uti obligatoria assumi.

Instructionis “Inter praeclara”, art. XI-XVI, in quibus clausura minor ordinatur, nullam mentionem faciunt de praecedenti Instructione “Nuper edito”; legitima ideo videtur conclusio eiusdem praescripta circa clausuram materialem non posse urgeri quoad partem monasterii operibus destinata.

57. Attentis normis vigentibus pro clausura, etiam minore, sequitur quod divisio inter partes monasterii fieri debet modo quo impediatur liber accessus ab una in aliam partem et pariter liber accessus ad ipsum monasterium, scilicet ad omnes partes clausurae subiectas. Accessus ad monasterium vel ad diversas partes, de se, omnibus modis impedi potest, dummodo tuti et efficaces (18) sint ad finem intentum: ideo muri sufficienter alti, sepes ferreae vel sepes naturales dummodo sint revera impenetrabiles et Moniales abscondant a inspectione externarum personarum; non sufficeret autem, etiam inter illas duas partes, monasterii, simplex notitia de clausura vel de vetito ingressu quin haec media moralia efficaciter per media physica v. g. portas clausas, etc. muniantur, vigilantiam continuam alicuius personae, etc.

58. Vetitum intra monasterium transeundi ab una ad aliam partem, sicuti infra exponetur, implicite imponit connexionem etiam materialem inter partes communitati reservatas, pariter connexionem inter partes operibus reservata; non dantur enim ex iure communi partes neutrae vel loca et communitati et operibus destinata: imposita separatio inter duas partes et reservatio communitati unius partis aedificii impediunt quominus pars ita reservata adhiberi possit pro operibus et ad illas, stante reservatione, personis quibuslibet, praeter Moniales, accessus pateat. Ipse conceptus clausurae qui salvus esse debet, impedit quominus personae clausurae passivae subiectas inveniri possint simultanee in eodem loco cum personis clausurae activae ligatis (19).

(18) Efficacitas et securitas mediorum proportionata esse debet personis a quibus separatio praescribitur.

(19) Hoc non impedit quominus, si necessarium erit, ex iure particulari vel ex legitimis dispensationibus, huiusmodi loca, et operibus et Monialibus destinata inducantur.

Si daretur Monasterium in quo omnes Moniales licentiam haberent accedendi ad loca operum vel per ea transeundi tunc aedes communitati reservatae possent etiam materialiter separatae esse v. g. aula pro refectioe in parte inferiori domus, cellae pro Monialibus in parte superiori.

c) *De clausura formali*

59. Regimen clausurae minoris, quod ex una parte clausuram papalem classicam Monialium mitigat, ratione operum ministerii et ex alia parte hanc clausuram uti severiorem quam illa quae pro regularibus viris viget confirmat, quatuor elementa afficit et ordinat:

- 1.° egressum Monialium e monasterio;
- 2.° egressum Monialium e partibus communitati reservatis ad loca operibus destinata intra ambitum monasterii;
- 3.° ingressum extraneorum in loca operibus destinata;
- 4.° ingressum extraneorum in loca communitati reservata.

60. Evidenter omnia quae dicta fuerunt de mitigatione seu ordinatione clausurae maioris valent etiam pro clausura minore: ideo hic non considerantur casus egressus e monasterio vel ingressus qui locum habent etiam pro clausura maiore, id est, ratione regiminis et prosecutionis finium foederationis monasteriorum. Utiliter recoli potest quod in monasteriis cum ministeriis apostolicis facilius et frequentius verificari possunt casus exigentes vel legitimantes e translationes temporaneas Monialium ab uno ad alium monasterium.

1.° *Egressus Monialium e monasterio:*

Prohibitio egrediendi.

61. Instructio, art. XII, 2.°, gravem prohibitionem statuit pro Monialibus post professionem, egrediendi extra septa monasterii: haec prohibitio eadem est ac illa quae afficit Moniales clausurae maiori subjectas. Tali praescripto salvatur ratio nativa et unum ex elementis essentialibus clausurae: Moniales in quantum tales clausurae manere debent in Monasterio.

Egressus ratione apostolatus:

62. Cum agatur vero de Monialibus quae incumbunt apostolatu, tunc, huius ratione, Constitutio praevidet dispensationes seu exceptiones a norma generali: dicit art. XIII, 2.° "Dispensationes a praescripto n. XII, 2.°, si quae, ratione apostolatus, necessariae sint, concedi tantum possunt Monialibus aliisque sodalibus quae ministeriis sint legitime adscriptae, onerata graviter conscientia Superiorissarum, Ordinariorum et Superiorum quibus clausurae tutela commissa est (can. 603).

63. Potius quam de dispensatione in sensu stricto, seu de relaxatione legis in casu speciali seu particulari (can. 80) hic agitur de lege, quae pro aliqua classe Monialium ferenda praevideatur. Ipsarum enim figura iuridica propria, quae per duo pontificia documenta perficitur, constitui debet iure normali et ordinario, non autem iure stricte exceptionalis: facultas egrediendi pro istis Monialibus, connexa cum earum vita seu vocatione propria contemplativa-apostolica et in ipsa fundata, nequit concipi uti odiosa relaxatio a norma generali, sed potius uti norma particularis quae harmonice componitur cum norma generali ita ut peculiare institutum iuridicum habeatur.

Licet ideo praevidere, ratione apostolatus, facultatem permittendi egressum in favorem Monialium aliarumque sodalium ministeriis legitime adscriptarum seu destinatarum. Ratio vel causa sufficiens permittendi egressum est ipse apostolatus, in quantum nequit componi cum permanentia Monialium intra septa Monasterii.

In apostolatu distinguere possumus praeparationem, exercitium eiusque integrationem:

Quoad praeparationem:

64. Ratio qua nunc diversa opera apostolatus, educationis vel charitatis sive spiritualis sive corporalis exercentur, quae a moribus hodiernis atque a civili lege firmatur, de facto praeparationem requirit ex parte personarum operibus destinatarum, quae sufficienter obtineri nequit intra fines Monasteriorum; saltem ibi obtineri nequeunt tituli necessarii, concedendi solummodo a determinatis institutis, vel collegiis vel universitatibus. Ergo, Moniales destinata magisterio pro disciplinis etiam inferioribus, et praesertim pro superioribus, Monialis operi reaeducationis deputata vel servitio aegrotorum adscripta, studia perficere et diplomata consequi debet in locis et institutis ad hunc finem erectis: ideo pro Superioribus necessaria habetur facultas permittendi exitum et permanentiam extra Monasterium Monialibus quae, intuitu apostolatus exercendi, scholas frequentare et titulos acquirere tenentur.

65. Preparatio illa in scholis acquisita, aliquando compleri debet per quoddam tyrocinium per cursus complementares indolis scholasticae; praeparatio technica requirere potest specialia media, non indolis scholasticae, pro conservatione et perfectione, prae oculis habitis exigentiis continuo mutantibus: ut talia recenseri velant: congressus, conferentiae, conventus, etc.

Debita praeparatio eiusque conservatio et perfectio rationes sufficientes constituunt pro permittendo Monialibus egressu e Monasterio, dum-

modo et in quantum revera media haberi debent moraliter necessaria ad hoc ut ministerium a Monialibus exerceri valeat "rite et fructuose". Non adesset ratio sufficiens pro egressu, quando absque ullo damno pro perfecta explicatione operis, omitti possit conferentia vel conventus. Bonum criterium habetur in ratione agendi aliarum religiosarum quae operibus eiusdem generis applicantur: etiam in usu huius criterii animadvertendum est quod aliae religiosae conventibus vel conferentiis interesse valent etiam solummodo ratione distractionis et curiositatis, non ita autem pro Monialibus, pro quibus haberi debet ratio necessitatis moralis.

Quoad exercitium ministerii:

66. Pariter ratio et methodus quibus nunc opera apostolatus educationis, etc., exercentur non amplius permittunt subiicere legi de clausura puellas aliasque personas quibus dirigitur apostolatus. Praeterea hodiernae exigentiae instructionis et educationis nequeunt omnes impleri in aula scholastica vel intra septa Monasterii seu domus religiosae, imponuntur igitur pro alumnis et alumnabus egressus e Monasterio ratione instructionis perficiendae, ratione examinum vel aliarum probationum, ratione sanitatis corporalis, etc., prouti in concreto definitur in ordine cuiusque collegii vel scholae.

Nonnulli casus egressus nihil aliud sunt nisi continuatio vel complementum lectionum quae in aulis traduntur vel sunt complementum educationis, uti locum habet quando Moniales cogentur alumnas ad ecclesiam comitandi.

Huic necessitati providet art. XIII, 2.^o Instructionis S. C. de Rel., sed adhuc magis in concreto providere tenentur Statuta particularia.

67. Aliquando opera educationis ex parte collegii vel ex parte Magistrarum compleri debet per curam suscipiendam de sanitate alumnarum, ita ut Moniales pro tempore quo ipsis alumnae commissae sunt, in omnibus locum parentum tenere debent; ideo providere necessario visitationibus, curis medicis, etc.

Clare apparet quod si in quibusdam casibus, alumnae e Monasterio egredientes sociari valent per alias personas, non subiectas legibus clausurae, hoc fieri debet.

Quoad complementum ministerii:

68. "Ratione apostolatus" dispensationes et facultates pro permittendo egressu necessariae fieri possunt etiam ob causas quae non sunt formaliter exercitium apostolatus, sed cum ipso tamen intime connectuntur: tales sunt relationes cum auctoritatibus civilibus vel scholasticis, acquisi-

tionem librorum, instrumentorum aliorumque rerum pro schola necessariarum, cum huiusmodi acquisitiones fieri nequeunt per alias personas.

Uti elementum integrativum pro exercitio apostolatus considerandae sunt relationes quas Instituta, in similibus ministeriis occupata, inter se in dies semper magis ineunt: constitutio alicuius organismi ex parte religionum educationi vel curae aegrotorum incumbendum ordinatur, inter alia, ad meliorem preparationem religiosarum, ad perfectiorem methodum inducendam in exercitio operum, ad securiorem defensionem coram civilibus auctoritatibus, ad communicationem fructuum experientiae. Egressus qui supponuntur pro religiosis, etiam Monialibus, pro parte habenda in praedictis organismis, necessarii evadunt ratione apostolatus cui ordinantur. Evidenter egressus huiusmodi reduci debent ad strictam necessitatem vel ad evidentem utilitatem, quae practice convertitur in moralem necessitatem: tales censendi sunt egressus pro annuis conventibus, etc.

Quibusnam dari valeat licentia egrediendi:

69. Ad normam art. XIII, 2.^o Instructionis "Inter praeclara" licentia egrediendi e Monasterio, ratione apostolatus dari potest tantum "Monialibus aliisque sodalibus quae ministeriis sint legitime adscriptae".

In Monasteriis in quibus Moniales ex instituto vacant operibus apostolatus censemus omnes considerari posse uti adscriptae seu destinatae ministeriis, in aliquibus institutis Moniales votum emittunt de opera praestanda quibusdam definitis ministeriis, tunc omnibus, cum necessarium apparet, permitti potest egressus pro debita praeparatione sibi procuranda.

In aliis Monasteriis in quibus nonnullae solummodo, vel certe non maior pars, incumbunt operibus apostolicis, licentiae egrediendi dari poterunt tantummodo illis Monialibus quae destinantur operibus, vel quae necessariae apparere possunt pro exercitio operum a Monasterio susceptorum. Pro istis Monasteriis attendendum est ad numerum Monialium quae pro ministerio, de facto exercito, prudenter necessariae reputantur.

70. Legitima deputatio seu adscriptio ministeriis, quae praesupponitur a licentia egrediendi ratione apostolatus, habetur per concretam destinationem iam statutam vel per destinationem incertam. Practice, ipsa applicatio alicuius Monialis ad acquirendam praeparationem necessariam pro operibus secumfert et manifestat voluntatem Superiorum illam Monialem operibus destinandi seu adscribendi.

71. Isti egressus considerandi sunt verae dispensationes seu exceptiones, quarum concessio in genere eodem modo ordinatur ac pro clausura maiore, scilicet reservantur S. Sedi, quae poterit facultates plus minusve latas, iuxta casus, per actum hominis vel per ipsum ius particulare, Cons-

titutiones nempe vel Statuta, Ordinariis vel aliis Superioribus delegare (Instr., art. IX et XVI).

72. Non excluditur tamen quod facultas dispensandi Ordinariis agnoscatur nomine proprio exercenda. Dispensationes a clausura papali minore dicuntur ex regula S. Sedi reservatae (Instr., art. XVI); cum adhibeatur formula "ex regula", forsitan concludi posset praevideri casus in quibus dispensatio, modo exceptionalis, Ordinario agnoscitur.

In aliqua largiori interpretatione possibilitatis tribuendi dispensationes pro egressu, semper ob graves et serias causas, reponi valeret character clausurae minoris quae assumitur a Monasteriis vitae pure contemplativae, in quibus de facto pro nunc impossibilis esset emissio votorum solemnum.

2.º *Egressus a parte reservata Communitati ad loca operum:*

Criteria.

73. Peculiaritas clausurae minoris est divisio Monasterii in duas partes ad hoc ut Moniales, communitatem constituentes, separatae maneant a personis quae, ratione apostolatus, ad loca operum accedere valent. Cessatio separationis admittitur et necessaria est cum de facto Moniales, ad hoc destinatae, apostolatu incumbunt exigentiis quae ipsius apostolatus commensuratur; stante vero habituali obligatione Monialium evitandi commercium cum personis communitati extraneis, praedicta cessatio separationis nequit praetergredi apostolatus exigentias. Aliis verbis: harmonisatio apostolatus cum vita contemplativa integram conservare intendit et conservare debet clausuram eiusque notas, quando illarum suppressio vel mitigatio non fit revera necessaria pro apostolatus exercitio.

Normae concretae:

74. Diversa elementa consideranda sunt circa ordinationem transitus intra septa Monasterii a partibus communitati reservatis ad loca operibus destinata; prouti ordinatur in art. XII, 1.º Instructionis:

- a) ratio apostolatus,
 - b) venia Superiorissae,
 - c) destinatio exercitio apostolatus.
- a) *Ratio apostolatus:*

75. Verba art. XII, 1.º Instructionis coarctant licentiam transeundi ad loca operum ad casus qui fundantur in exercitio apostolatus: "Egressus... huius tantum ratione... licet...". Ideo, licet egredi ab aedibus propriis communitatis pro schola facienda, pro alumnis vigilandis, pro infirmis inserviendis vel curandis, etc.; item licet transire ad loca operum pro acquirenda vel perficienda praeparatione ad apostolatum; pro invigilandis

personis operibus addictis, sive illis qui apostolatum exercent, sive aliis quibus apostolatus dirigitur; pro personis audiendis quae ratione apostolatus accedunt, v. g. in locutorium ad hoc destinatum intra aedes operum; pro collaboratione danda exercitio apostolatus, sub quavis forma hoc fiat.

Etiam applicatio ad opera materialia, quae in parte aedium operibus destinata habentur et quae supponuntur ab operibus exercendis vel cum ipsis connectuntur, legitimum efficit egressum e parte communitatis: fundatur enim in apostolatu.

76. Ratio apostolatus non implicat solummodo formale eiusdem exercitium, sed omnia quae in apostolatu innituntur, vel ad apostolatum diriguntur, vel ipsum complent, dummodo sufficienti nexu cum exercitio apostolatus devinciantur.

Quaeri possit an necessarium sit quod quilibet transitus ad loca operum hic et nunc dirigatur ad apostolatum, ita ut non sufficiat habitualis ratio apostolatus: v. g. an Monialis, quae habitualiter applicatur operibus, momento quo eius opera non requiritur, possit transire ad aedes in quibus versantur alumnae ad colloquium habendum cum alia Moniali ibi occupata; vel an liceat, occasione exhibitionis vel festivitatis ex parte alumnarum, huic adsistere omnibus Monialibus communiter cum alumnis occupatis, etsi earum opera non sit necessaria.

Verba Instructionis ita interpretanda videntur ut quoties habeatur aliqua ratio connexa cum ministerio alicui Moniali collati vel conferendi, ipsi liceat, servatis servandis, transire ad aedes monasticas operibus addictas, etsi hic et nunc transitus non sit stricte necessarius. Si tamen exulat quavis ratio cum apostolatu praesenti vel futuro connexa, transitus huiusmodi prohibetur a normis clausurae minoris.

Nequeunt, igitur, admitti transitus ad loca operum qui unice uti finem habent utilitatem Monialium, vel illarum curiositatem. Ita, non licet toti communitati transire ad loca operum ut omnes Moniales adsistere valeant exhibitionibus vel solemnitatibus scholae, vel ad habendum conventum seu ad laborem perficiendum in aliqua aula scholastica, quae maiorem commoditatem ad hoc praestat, etsi pro illa die aula libera sit.

Censemus tamen culpam diversimode esse iudicandam in casu illiciti transitus ad loca operum pro Moniali quae destinatur habitualiter operibus et pro Moniali quae cum eisdem nullam connexionem habet.

b) *Licentia Superiorissae:*

77. Supposita ratio valida apostolatus, transitus ad loca operum pendet a licentia Superiorissae.

Hoc explicitè dicitur in allato articulo XII, 1.º Instructionis “ex venia Superiorissae”.

Necessitas licentiae seu veniae Superiorissae in casu non solummodo innititur in ratione vitae seu disciplinae religiosae, sed etiam in ratione peculiaris naturae clausurae pontificiae minoris. Vetitum transeundi ad loca operum non est solummodo norma interna, pro recto ordine domus religiosae, sed est praescriptum iuris communis et unum ex elementis clausurae.

Licentia ex parte Superiorissae omnibus modis dari potest qui sufficientes sunt ad constituendam veram licentiam: ipsa destinatio ad determinata opera, modo stabili facta, eo ipso secumfert et continet licentiam ad loca operum transeundi illis horis in quibus opera praefata exercenda sunt.

Superiorissa, cui spectat tribuere veniam transeundi ad loca operum, curare debet ut omnes cautelae adhibeantur ne aliquod inconveniens habeatur occasione huius transitus, sive quoad spiritum recollectionis Monialium, sive quoad castitatem; nisi iam in Constitutionibus ad hoc provisum sit, Superiorissae erit accessum et permanentiam Monialium in aedibus operum accurate ordinare ad impediendum quominus permanentia ibidem ne protrahatur ultra quod necessarium sit et quominus colloquia habeantur cum personis extraneis absque licentia eiusdem Superiorissae.

c) *Destinatio exercitio apostolatus:*

78. Licentia dari potest omnibus illis Monialibus “quae ad normam Constitutionum praescriptorumque S. Sedis apostolatus exercendo quomolibet destinantur” (Instr., art. XII, 1.º).

Destinatio Monialium ad exercitium apostolatus supponitur facta legitime, scilicet: iuxtas normas contentas in Constitutionibus, vel in praescriptis S. Sedis quibus ministeria quaedam conceduntur vel forsam imponuntur. Constitutiones generatim normas ad hoc continent quando ipsa Monasteria uti talia, i. e. ex instituto, pro huiusmodi operibus existunt, vel iam ab initia foundationis vel ex successivis legitimis conversionibus. Praescripta S. Sedis generatim habentur quando ipsa opera sunt quid accesorium pro Monasterio, eidem addictum vel ratione necessitatis ipsius Monasterii, vel ratione necessitatis populi illius regionis. Haec praescripta limitationes et conditiones continere possent circa numerum, circa modum faciendi destinationem: ita requirere possunt interventum Ordinarii loci in designatione Monialium quae habitualiter vel ad actum operibus deputantur.

79. Quaelibet destinatio ad exercitium ministerii legitimat licentiam pro transitu ad loca operum: Instructio S. Congr. de Rel. dicit: "quomodolibet destinantur". Sufficit porro destinatio immediata ad ministerium, v. g. scholam facere, et sufficit etiam destinatio mediata, quae habetur per actus illos qui supponuntur ab opere apostolatus ut possit plene et integre exercere.

Dici potest quod si Monialis aliqua a Superiorissa mittitur ad loca operum pro servitio peragendo operibus apostolatus ordinatum, eo ipso, pro illo actu Monialis operibus destinata. Nequit vero Monialis ad loca operum mitti pro alia causa quae non sit cum operibus connexa.

Stantibus istis praescriptionibus ordinatio materialis aedificiorum ita curanda est ut partes Monasterii communitati Monialium destinatae inter se connectantur, quin necessarium sit ab ipsis egredi pro actibus et laboribus qui non destinantur exercitio apostolatus.

Dispensatio pro transitu ad loca operum:

Quaeri posset quinam valeat concedere dispensationem pro transitu Monialium a parte aedium communitati reservatarum ad partem operibus reservatam.

Expresse haec dispensatio in documentis pontificiis non praevideatur et ideo non ordinatur; nihilominus, perpensis omnibus elementis instituti clausurae papalis minoris censemus posse Ordinarium illum transitum permittere: Monialis transiens ad loca operum semper remanet intra limites clausurae papalis, S. Sedi vero reservatur solummodo facultas permittendi egressum e Monasterio (can. 601, § 1; Instr. "Inter praeclara", art. XII, 2.º coll. cum art. VIII). Punitio Monialis illegitimae transeuntis ad loca operum tribuitur Ordinario loci (Instr., art. XV, 2.º). Permissio ingrediendi in partes operum dari potest, modo exceptionalis, personis extraneis etsi hoc non omnino requiratur ab exigentiis operum (Instr., art. XIV, 3.º); a pari posset dici quod ipse valet permittere accessum Monialium ad loca operum, quando hoc non innititur in necessitatibus apostolatus.

Clausura minor normis et sanctionibus rigidis clausurae maioris subiicitur pro Monialibus quoad egressum e Monasterio et pro extraneis quoad ingressum in loca communitati reservata (Instr., art. XII-XVI).

3.º *Ingressus extraneorum in loca operibus destinata:*

Instructio S. C. de Religiosis quoad facultatem extraneorum in loca Monasterii operibus destinata, ingrediendi, distinguit:

- a) ingressum habitualem et normalem;
- b) ingressum exceptionalem.

a) *Ingressus normalis*:

80. Art. XIV Instr. dicit: "Ingressus habitualis licet alumnis seu alumnabus, aliisve in quorum favorem ministeria exercentur et mulieribus tantum quae, ministeriorum ratione et occasione, cum ipsis relationem habere necessario debent".

Norma generalis est quod in primis competit facultas ingrediendi illis omnibus quibus ministeria a Monialibus exercita diriguntur. Hoc provenit ex ipsa natura ministerii exerciti, ita ut, statuta compatibilitate inter determinatum opus apostolatus et vitam ac clausuram Monialium, eo ipso permittitur, uti quid normale et habituale, pro illo Monasterio admissio omnium illorum in quorum utilitatem opus suscipitur. Instructio S. Congr. explicitè commemorat alumnos et alumnas, cum sit casus frequentior; opus enim educationis puellarum, absque limite aetatis, et puerorum, intra limites a S. Sede vel ab Ordinariis locorum definitos, est potissimum inter opera quae a Monialibus geri valent. Sunt tamen etiam alia ministeria quae a Monialibus suscipiuntur, ideo allatus articulus Instructionis habet "aliisve in quorum favorem ministeria exercentur". Licet tunc ingressus mulieribus pro recollectione, iuvenibus pro reeducatione, aegrotis pro cura recipienda, etc.

81. Non raro cum ministerio principali, v. g. educationis, nonnulla alia opera exercentur quae cum ipso connectuntur, uti esset cura illarum quae alumnae fuerunt, cura matrum parentumve alumnarum. Quando vera ratio ministerii in istis operibus locum habet, eo ipso huiusmodi personis licet in Monasterium ingredi in partem operibus destinatum.

82. Aliquando dubium oriri potest an quidam actus veram naturam ministerii induant: rationes ob quas actus ponitur et modus seu circumstantiae quae in ipso locum habent possunt dubium solvere et, ni fallimur, lata interpretatio adhiberi potest.

Practice dubium solvi potest ab illa auctoritate a qua electio et ordinatio ministeriorum pro determinato Monasterio dependent.

83. Ratione habituali ac normali patet ingressus in loca operum etiam mulieribus quae "ministeriorum ratione et occasione, cum ipsis relationem habere necessario debent".

Non praevideatur accessus habitualis pro viris quavis ex causa cum apostolatu connexa: si horum accessus de facto habitualis fieri debet ratione collaborationis vel alius vinculi cum operibus, huic necessitati providebitur in sequentibus numeris art. XIV Instructionis S. C. de Religiosis. Quaes-

tioni an viri possint esse obiectum apostolatus Monialium suis in locis responsio dabitur.

Pro mulieribus permittitur accessus normalis cum iste accessus fit necessarius "ratione et occasione ministeriorum":

Necessitas huiusmodi certo moraliter sumenda est et exstare censetur, quando, sine interventu et possibilitate ingrediendi pro mulieribus gravia incommoda sequi possunt pro exercitio et explicatione operum apostolatus.

84. Necessaria relatio de qua in allato articulo XIV, 1.º Instructionis duplici ex fonte provenire potest: ex parte illorum ad quos dirigitur ministerium, v. g. comitari alumnos vel alumnas intra ipsum Monasterium et illos reducere, personas aegrotas, si quae habentur in Monasterio pro cura accipienda, visitare, etc. et ex parte ipsorum operum quae collaborationem mulierum expostulent, sive ex defectu sufficientis numeri Monialium, sive ex defectu Monialium quae ad hoc habiles sint, sive quavis ex alia ratione: ita licet ingredi mulieribus quae vocentur, ad docendam musicam, vel pro docendis exercitiis gymnasticis, etc. In praelaudato articulo adhibentur termini "ratione et occasione": ratio ministerii locum habet in illis quae partem habent immediatam vel mediatam in ministeriorum exercitio: docendo, vigilando alumnos, opera materialia praestando, etc.; occasio ministerii locum habet in illis quae ingredi debent motivo cum ministerio conexo, sed a ministerio distincto.

b) *Ingressus exceptionalis:*

85. Uti exceptio, sed talis quae fieri potest etiam habitualis quando adiuncta quae ipsam postulant modo habituali locum habent, permittitur ingressus illis omnibus etiam viris, qui necessariam connexionem cum operibus apostolatus habent. Ratione huius necessariae connexionis admissio et ideo accessus legitimantur pro pluribus personis, iuxta casus, quae non sunt destinatarii nec collaboratores ipsorum operum apostolatus.

In art. XIV, 2.º, 3.º Instructionis sermo fit de exceptionibus quae necessariae apparent, vel quae imponuntur; non autem explicite affertur fundamentum illarum necessitatis. Sufficiens autem apparet fundamentum illarum necessitatis. Sufficiens autem apparet fundamentum in quo immititur necessitas exceptionum esse connexionem inter personas admittendas et opera quae exercentur: agitur enim de accessu necessario admittendo in loca operum, evidenter necessitas supponitur relata ad opera quae ibidem exercentur. Exempla quae afferuntur sub n. 2.º allati articuli sese referunt ad ingressum ratione operum.

Inter personas quarum ingressus censetur necessarius nulla distinctio ponitur ratione sexus: mulieres et viri, hac de causa, aequè admitti possunt, nihilominus prudentia suggerere poterit ut cautelae, de quibus in n. 3.º praedicti articuli, diversae esse poterunt.

86. In n. 2.º art. XIV Instructionis videntur considerari casus necessarii ingressus qui omnino impediri nequeunt, quatenus sine ipsis opera apostolatus in nostra societate exstare non possunt. Uti exempla afferuntur ingressus personarum quae, ex praescripto legis civilis inspectiones peregrare tenentur circa scholas vel quae in examinibus partem habent, vel quae alia de causa, ex mandato legis civilis ingressum sibi vindicare possunt.

Lex civilis adducitur uti fons necessitatis ingressus exceptionalis necessarii, sed non est unicus, affertur solummodo ut exemplum: quinam sint alii fontes necessitatis praevisae in hoc numero non est facile dictu. Forsan ut casus praevisi in praedicto numero distinguantur ab aliis de quibus postea in n. 3.º dici potest quod in n. 2.º, agitur de exceptionibus sine quibus opera apostolatus, hic et nunc exerceri non possent, scilicet agitur de necessitate absoluta, seu de conditione sine qua non. Necessitas oriri potest a) ex lege civili quae praescribit interventum extranearum personarum pro inspectione locorum, pro adassistendis lectionibus, pro parte habenda in examinibus, pro adassistencia sanitaria alumnis, etc.; b) vel ex adiunctis ipsius ministerii quae collaborationem postulent aliquorum virorum, v. g. sacerdotis pro docenda religione, viri pro alia disciplina tradenda; c) vel ex moribus loci qui exigunt ingressum parentum alumnorum pro adassistendi examinibus, vel pro parte habenda in solemnitatibus scholasticis, vel pro invisendis alumnis et locis, pro quaestionibus tractandis cum operibus connexis, cum hoc nequit fieri convenienter in locutoriis Monialibus destinatis. Ita v. g. si admittitur pro Monialibus in quibusdam casibus cura aegrotis etiam tantum mulieribus praestanda, nullo modo potest impediri accessus ad hospitale parentum aegrotorum. Exigentiae diversae erunt iuxta diversa loca et iuxta diversam speciem ministerii quod a Monialibus exercetur.

87. Cum ingressus personarum extranearum istis in casibus appareat necessarius, nequit impediri et non subiicitur concessionem alicui licentiae ex parte Superiorum; cum tamen abusus introduci possent in iudicanda necessitate n. 2.º allati articuli XIV Instructionis praescribit ut exceptiones, necessario admittendae, "ut tales, generali seu habituali declaratione" ab Ordinario loci definiantur. Hoc modo praevenitur quodvis arbitrium personale.

Praescriptus interventus Ordinarii in istis casibus omnino conformis est can. 600, § 4, qui in casu analogo postulat Ordinarii approbationem saltem habitualement, etsi ingressus quarundam personarum appareat revera necessarius.

88. In n. 3.º art. XIV Instructionis praevidentur aliae exceptiones pro ingressu sive virorum sive mulierum in loca operum.

Istae exceptiones afficiunt casus singulos et supponuntur “vere necessariae”. Ergo hic non considerantur ingressu qui natura operum pro quibusdam classibus personarum necessario imponitur, sed prae oculis habentur casus singuli, scilicet quaedam Monasteria, vel quaedam personae, vel quaedam peculiaria adiuncta, etc. in quibus bonum ipsorum operum necessarium, sensu morali, reddunt ingressum personarum extraneorum. Ita v. g. ingressus insignis auctoritatis, vel insignis benefactoris operum, ingressus quorundam visitorum qui edoceri intendunt de methodo a quodam Monasterio adhibita in opere particulari explendo, etc.

In istis casibus necessitas vel omnimoda convenientia exceptionum non afficit possibilitatem vel conditionem sine qua non ipsius apostolatus, sed potius adiuncta quae, stante exercitio operum, ingressum personarum quae in num. 1.º et 2.º huius articuli XIV Instructionis non veniunt moraliter exigere censentur.

89. Quaestioni an sub exceptionibus de quibus in hoc num. 3.º veniant etiam casus qui non connectuntur cum exercitio apostolatus non facilis est responsio: Directe isti casus non considerantur in Instructione “Inter praeclara”, quae clausuram minorem definit et ordinat ad exercitium operum et non ad alium finem. Ideo, licet verba huius num. 3.º sint generica et ex tenore possent includere omnes casus necessitatis, censemus, ex contextu et ex fine legis ipsa non posse extendi ad casus non connexos cum exercitio operum.

90. In casibus praevisis a num. 3.º relaxatio clausurae seu licentia ingrediendi reservatur Ordinario loci, qui, non tantummodo declaratione generali, sed per expressam concessionem debet facultatem ingrediendi tribuere, cum hunc ingressum, ex conscientiae officio, necessarium duxerit. Ordinarius porro tenetur iudicium ferre de necessitate ingressus i. e. quod exceptiones videntur “vere necessariae”, et iudicio praehabito de necessitate licentia ingrediendi non provenit a iure seu ex documentis pontificiis sed quovis in casu decerni debet ab Ordinario. Ergo licentiae seu concessionem de quibus in num. 3.º omnino distinguendae sunt a declaratione de qua in num. 2.º.

Ordinarii facultatem tribuere valent sive pro casibus singulis, sive pro quoddam numero casuum; sive etiam facultatem habitualem concedere pro quibusdam generibus personarum, quousque hoc necessarium apparuerit.

91. Vi num. 2.^o et 3.^o art. XIV Instructionis “Inter praeclara” declarationes et concessionem afficientes facultatem ingrediendi ex parte personarum extraneorum quae non sunt collaboratores mulieres vel non sunt destinatarii operum reservantur Ordinariis locorum et subtrahuntur competentiae Superiorissarum. Haec provisio omnino convenit cum characteri classicae clausurae cuius observantia committitur vigilantiae Ordinariorum locorum.

92. Expresse in casu licentiae tribuendae ab Ordinario loci Instructio commemorat prudentes cautelas imponendas cum licentia conceditur: “ex conscientiae officio prudentes cautelas (Ordinarius) imponere debet”. Evidenter necessitas praescribendi prudentes cautelas urget etiam in casibus praevisis a num. 2.^o.

Ratio huius praescripti in hoc residet quod cessante lege de clausura pro determinatis personis (20), semper finis intentus a clausura, scilicet tuitio recollectionis et defensio castitatis debet secure in tuto poni et ideo ordinationes et normae dandae sunt ad impediendum quominus personae ingressae turbent quietem Monialium vel periculum pro eisdem constituent: prudentia et experientia suggerunt quatenus sint normae in istis casibus servandae.

4.^o *Ingressus extraneorum in aedes Monasterii Monialibus reservatas.*

93. Ingressus extraneorum in partem Monasterii Communitati reservatam eisdem rigidis normis regitur ac ingressus in Monasterium Monialium clausurae maiori subiectum: hoc explicitis verbis asseritur in art. XII, 1.^o Instructionis et confirmatur in art. XV, 3.^o; in quo ultimo articulo eadem poena statuitur in casu violationis.

94. Severiores normae quae defendunt clausuram aedium Monialibus reservatarum et pro personis extraneis valent et etiam pro illis quae legitime admitti possunt in loca operibus destinata. Ingressus, qui aliquando admitti debent, iisdem normis reguntur quae supra expositae fuerunt.

d) *De apto regimine clausurae minoris*

95. Quaeri posset an clausura minor, prouti ab Instructione S. Con-

(20) Utiliter adnotari poterit quod clausura cui subicitur pars Monasterii operibus reservata est totalis et unica hoc sensu quod afficit omnes aedes ut quic unicum; consequenter, cum adest ratio ingrediendi in aliquem locum, tunc cessat clausura etiam pro aliis locis. Prudentia et interna Statuta definire debent accessum ad diversa loca atque cautelas adhibendas.

gregationis de Religiosis "Inter praeclara" definita est, satisfaciat omnibus exigentiis et necessitatibus Monasteriorum moderato ministerio incumbentium ita ut ibidem opera apostolatus "rite et fructuose" exerceri valeant. Pariter quaeri posset an clausura minor possibilitatem praebeat vitam contemplativam et characterem monasticum componendi cum quibusdam operibus quae peculiare exigentias continent.

96. Normae quibus in Instructione regitur egressus Monialium e Monasterio, illarum transitum e parte aedium communitati reservata ad partem operibus destinata, et, tandem, ingressum extraneorum in partem operum omnia praevident quae natura sua et ex regula necessaria sunt pro operum apostolatus exercitio. Finis adaptationis clausurae papalis classicae, scilicet harmonica compositio vitae contemplativae cum ministeriis apostolicis, certe per supra expositas normam obtineri valet. Egressus Monialium, etiam extra Monasterium, et ingressus extraneorum semper permittuntur cum a necessitatibus ministeriorum susceptorum requiruntur, ita ut probata necessitate egrediendi pro Monialibus vel transeundi ad loca operum eo ipsa legitimus redditur sive egressus e Monasterio sive transitus ad loca operum; et pariter, probata necessitate pro extraneis ingrediendi in loca operum, legitimus fit ingressus (art. XIV, 1.º) vel saltem praevidetur auctoritas quae in loco dare valet licentiam (art. XIV, 2.º, 3.º).

Ordinarius in loco iudicium ferre potest de exigentiis operum et necessarias facultates tribuere.

Prouti postea fusius exponetur, non omnia opera apostolatus Monialibus suscipienda proponuntur et permittuntur, sed quaedam cum vita contemplativa facilius componenda.

1.º *Difficultates in applicatione clausurae minoris:*

97. Difficultates quae de facto in instauratione clausurae minoris in quibusdam Monasteriis habentur, non raro proveniunt ab ipsa materiali dispositione aedium ipsius Monasterii, ex quo loca communitati reservanda et alia, operibus destinata, nequeunt commode plene separari ita ut exclusus maneat transitus alumnorum alumnarumve per loca quae Monialibus inservire debent; pariter ex dispositione aedium aliquando necessarius fit transitus omnium Monialium per loca per quae etiam alumni transire debent, etsi temporibus distinctis.

98. Aliae difficultates oriri possunt ex ipsa limitatione seu coarctatione spatii sive in aedibus sive in hortis, ita ut aliquando necessarium vel saltem conveniens appareat adhibere pro usu communitatis quaedam loca

quae determinatis temporibus non occupantur ab alumnis: v. g. aulae scholasticae pro sermonibus vel conferentiis, hortus pro recreatione, etc.

Aliquando vero incommoda in applicatione clausurae minoris praevidentur ex moribus seu consuetudinibus hucusque admissis. Cum antea a iure nulla praescripta fuerit separatio inter alumnos aliasve personas legitime admissas et communitatem Monialium, de facto etiam Moniales, ministeriis non destinatae, versari poterant praesertim occasione quadam particulari, v. g. festivitatis scholasticae, et etiam ratione recreationis (21).

99. Quaedam diversi generis difficultates adduci a Monasteriis possent in quibus Moniales peculiari ratione quaedam ministeria explent vel addicuntur ministeriis specialibus et quasi exceptionalibus pro religiosis legibus clausurae papalis adstrictis.

Pro transitu ad partem operum:

100. In Monasteriis quibusdam atque in plurimis Unionibus seu Congregationibus Monasteriorum Moniales ex ipso instituto, scilicet ex fine sibi praefixo in fundatione vel in decursu ipsorum historiae in Regula et in Constitutionibus sancito, destinatur ministeriis exercendis. In aliquibus vero Monasteriis, de facto, ex concessione S. Sedis, omnes vel saltem maiori pars Monialium in ministeriis occupantur. Istis in casibus Monasteria censentur constituta et destinata et pro Monialibus et pro personis quibus ministeria diriguntur, ita ut, licet urgenda sit separatio inter partem Monasterii operibus et partem soli communitati destinatam, saepe desideratur pro Monialibus omnibus facultas, de sola licentia Superiorissae, in partem monasterii operibus addictam transeundi vel versandi etiam praeter causam actualem seu immediatam apostolatus exercendi (22).

Pro ingressu extraneorum in loca operum:

101. In praedictis Monasteriis frequenter opera apostolatus particulari rationi atque amplitudine, seu extensione, explentur ad hoc ut opera

(21) Aliquando mores peculiare inducti sunt non occasione operum, sed aliis de causis et afficiunt egressum Monialium e clausura: v. g., occasione professionis, vestitionis, magnae festivitatis. Solutio difficultatum tunc desumi debet e principiis generalibus de clausura.

(22) In antiquis Constitutionibus Religiosarum a Nostra Domina (*Les vraies Constitutions des Religieuses de la Congregation de Notre Dame, à Toul, MDCCIV*), Parte II, c. V, n. 7 imponebatur triplex divisio Monasterii: "Tous les bâtiments, et lieux compris dans l'enceinte des murailles de la clôture seront divisés en trois parties: une pour la demeurance de toutes les Religieuses; une, pour celle de leurs écolières pensionnaires, et la troisième pour les écoles des filles de dehors..." In Parte III, cap. I, plures normae dantur pro admissione puellarum externarum in partes illis reservatas: quoad accessum religiosarum ad easdem partes dicitur in n. 7 "Aucune Religieuse aussi n'entrera les dites classes, sinon l'intendante, et les Maitresses de l'instruction, députées à cela, et autres qui en quelque cas de nécessité y seraient envoyées par la Supérieure."

ab extraneis cognoscantur et aestimentur ac corde habeantur et efficaciam exercent in plurimas personas quae cum alumnis vinculis parentelae vel amicitiae devinciuntur. Qua in ratione agendi Moniales mores ac consuetudines sequuntur aliarum Religiosarum quae in similibus ministeriis incumbunt.

Hac de causa, aliquando parentes qui antequam filios vel filias praesentent pro schola frequentanda vel educatione recipienda, loca operum invisere desiderant in haec loca admittunt; pariter parentes et etiam amicos admittunt pro visitandos alumnos aegrotos et non aegrotos, vel pro parte habenda in aliqua solemnitate religiosa, v. g. pro Prima Communionem, vel in aliqua celebratione civili seu scholastica, v. g. pro initio vel conclusione anni scholastici, pro exhibitione litteraria vel scenica, pro distributione praemiorum. In allatis occasionibus Moniales plures alias personas admittere solent, scilicet, auctoritates religiosas et civiles, benefactores, amicos, etc, et plures alias personas quae communiter ad loca operum accedere non possunt (23).

102. Dantur casus in quibus ratione operum quae explentur, v. g. ad assistentiam aegrotorum, accessus personarum in loca aegrotis destinata quam maxime patere convenit, quinimmo necessario quam maxime patere debet, ita ut medicis, infirmariis, parentibus, amicis, etc. liceat aegrotos curare vel visitare.

Revera huiusmodi casus rarissimi erunt et certe quoad futurum non videntur facile permittendi.

103. Aliqua Monasteria quae operibus incumbunt, et quae hucusque clausurae papali non tenebantur, opera apostolatus instituerunt adnexa Monasterio sed in locis ab aedibus Monasterii separatis, vel etiam apud ipsam paroeciam: quomodo tunc conciliari possunt normae clausurae minoris cum ministerio exercito?

(23) Monasterium Montium civitatis Mutinensis, in quo puellae educationis gratia recipiebantur, occasione approbationis Constitutionum nonnullae limitationes impositae fuerant ex quibus Moniales verebantur ne cives deterrerentur a tradendis puellis pro educatione. Hac de causa, Moniales peculiare facultates postularunt; S. Congregatio EE. et RR. in coetu generali diei 18 decembris 1840, quasdam resolutiones tulit, deinde a Summo Pontifice Gregorio XVI approbatas: permisit, scilicet; Ingressum in Monasterium parentibus pro invitanda puella graviter aegrotanti, item ingressum parentum in scholas externas pro visitatione faciendi momento lectionum, recusavit vero facultatem admittendi sacerdotes aliquos et nonnullas alias personas pro quibusdam caeremoniis, v. g. scholasticis experimentis. Ratio adducta pro recusatione erat quod talis admissio non censebatur necessaria.

Moniales pro petitione fundanda adducebant opiniones et mores parentum et damnum timendum pro scholis. BIZZARRI: *Collectanea S. C. EE. et RR.*, pp. 457-458.

2.° *Solutio difficultatum:*

104. Difficultates allatae primo loco sunt potius ordinis practici eis-que solutio non ordinis iuridici sed potius ordinis materialis afferri debet. Regulae generales providere intendunt exigentiis quae oriuntur ex parte operum attendita ipsarum natura, et non attentis locis in quibus ipsa exercentur.

Cum de facto habentur difficultates ordinis practici ex dispositione vel distributione aedium materialium, solutio afferri poterit per dispensationes, quousque aliter provideri poterit.

105. Aliis difficultatibus quae innituntur in natura operum vel in ratione ea peragendi solutio afferri debet ex normis clausuram minorem ordinantibus desumpta: normae huiusmodi continentur in Instructionibus S. Congregationis de Religiosis cui commissum est hanc clausuram definire. (Const. Apost., l. c., pp. 12-13; Stat. Gen., art. IV, § 3, 1.°).

Hucusque S. Congregatio unicam tantum edidit Instructionem, scilicet "Inter praeclara", quam illustrandam suscepimus, et ex huius articulis solutio pro diversis casibus propositis eruenda est.

106. Egressus Monialium a parte communitatis ad loca operum non licet nisi reduci possit ad apostolatatum.

Pro Monasteriis, quae ex instituto vel in quibus quasi totalitas Monialium operibus incumbit, ad hoc ut facilius Superiorissa permittere valeat transitum ad loca operum, quis asserere posset Moniales omnes illorum Monasteriorum semper seu habitualiter ministerio occupari, et ideo, quivis accessus ad loca ministeriorum censi posse actus ministerii in bonum alumnorum aliarumve personarum directus.

An allata explicatio seu iustificatio conciliari possit cum art. XIII, 1.° Instructionis non est facile dictu. Primo ad aspectu responsio videtur negativa, sed si bene et attente omnia adiuncta perpenduntur ratio ministerii apparere potest in pluribus actibus qui videbantur ordinati exclusive in bonum seu commodum ipsarum Monialium vel in bonum Monasterii: v. g. adsistere repraesentationi scenicae, vel exhibitioni litterariae, vel aliquando versari in locis recreationis ubi alumnae inveniuntur potest reduci ad utilitatem ipsius apostolatus.

Si vero ratio apostolatus omnino exulat ab illo transitu ad loca operum, tunc opponitur allato art. Instructionis et particularem dispensationem seu facultatem supponit quae a Superioribus internis dari nequit.

Pro ingressu extraneorum in loca operum:

107. Quoad ingressum in loca operibus destinata parentum, benefac-

torum et amicorum aliorumque de quibus in proposita difficultate, attento art. XIV Instructionis facilis videretur esse responsio, nempe: Ordinarium loci posse ingressum concedere (art. XVI, 3.º) vel legitimum recognoscere (art. XIV, 2.º) quando necessarius demonstratur.

Necessitas ingressus ex parte extraneorum, sive virorum sive mulierum moraliter iudicanda est; nihilominus reduci nequit ad simplicem utilitatem vel ad puram convenientiam. Nisi habeatur proportionate grave vel notabile incommodum pro operibus in recusatione admissionis praedictarum personarum, Ordinarii locorum nequeunt ingressum uti necessarium considerare.

108. In concreto bene perpendere oportet adiuncta operum, personarum et locorum. Si opus aliquod compatibile censetur cum vita contemplativa canonica Monialium, tunc veris eius exigentiis satisfieri debet, non tamen ultra exigentias progredi potest; non sufficit ratio maioris boni faciendi, Moniales enim nequeunt omnia opera bona vel utilia perficere; unaquaeque Religiosa suam vocationem propriam implere debet et non aliam.

109. Data vero possibilitate seu facilitate pro Monialibus, quae ex instituto operibus educationis incumbunt, extendendi proprium apostolatium etiam ad illas personas quae cum alumnis connexionem habent, et hoc uti complementum vel integrationem earundem principalis ministerii in utilitatem alumnarum, attente perpendere interest num possit vel debeat quaedam actio in bonum parentum alumnarum considerari uti pars ministerii Monialium. Facilius enim et aliquando ipsae solae Moniales valent influxum exercere in huiusmodi personas, nempe parentes, amicos, etc. occasione festorum seu solemnitatum religiosarum vel scholasticarum, vel occasione conventuum pro parentibus, et praesertim pro matribus alumnarum, indicatorum, vel etiam inducendo quadam consociatione inter parentes alumnarum, etc.

Tunc si ingressus vel admissio personarum extraneorum reduci valet ad formam aliquam ministerii permissi pro Monialibus, evanescit quaevis difficultas: art. XIV, 1.º permittit ingressum "alumnis seu alumnabus, aliisve in quorum favorem ministeria exercentur".

110. Evidenter istae formae apostolatus non sunt aptae pro omnibus Monasteriis: ministeriorum exercitium proportionari et aptari debet Regulis, characteri et traditioni cuiuslibet Religionis et Monasterii: consequenter clausura, seu exclusio extraneorum et vetitus egressus, in casu clausurae minoris admittere posset gradus, non ratione sui, sed ratione operum quae exercentur.

Clausura minor, prouti in Instructione "Inter praeclara" definitur, videtur potius afficere casum ministeriorum quae requirunt ingressum restrictum et limitatum quoad genus et numerum personarum admittendarum, non excludit tamen opera quae supponant admissionem maioris numeri personarum; sive Instructio, sive Constitutio Apostolica "Sponsa Christi" clare innuunt quod clausura aptari debet operibus ministerii et ideo possibilem praevident clausuram aliquantulum largiorem quam illa quae diffusis verbis describitur in art. XIII et XIV ipsius Instructionis "Inter praeclara".

Huiusmodi adaptatio clausurae exigentiis quorundam operum fieri potest in ipsis Statutis seu Constitutionibus S. Sedis pro approbatione subiciendis vel etiam in aliis instructionibus ex parte ipsius S. Congregationis de Religiosis.

e) *Ulterior accomodatio clausurae minoris*

111. Ad omnes difficultates e medio tollendas quis suggerere posset instaurationem pro Monialibus ex instituto ministeriis incumbentibus illius clausurae papalis quae pro regularibus viris viget (cann. 597-598).

Si bene attenditur menti Ecclesiae in renovatione figurae Monialium dicendum videtur talem ampliationem clausurae non esse necessariam nec opportunam: reducere clausuram Monialium ad solum vetitum admittendi viros in partem communitati reservatam esset quasi suppressere clausuram existentem; nullum Monasterium, nec ulla Monialis hanc innovationem proposuit vel opportunam esse significavit.

112. Optatius videtur ubique et semper pro Monialium Monasteriis servare vetitum admittendi sive viros sive mulieres in partem communitati reservatam et pariter servare prohibitionem pro Monialibus egrediendi e Monasterio curiositatis, recreationis vel utilitatis personalis causa; quoad alia autem, scilicet quoad transitum Monialium ad loca operum et pro admissionem in eadem loco personarum extranearum opportuna accomodatio fieri posset attentis caractere operum et adiunctis locorum. Pariter tribui posset quaedam non nimis restricta facultas iudicandi et permittendi ingressum ipsis Superiorissis ita ut anxietates conscientiae vitentur, et casus qui occurrunt facile et cito solvi possint.

113. Pro accomodatione facienda utiliter prae oculis haberi possent normae quibus hucusque regitur transitus Monialium et ingressus extraneorum in loca operum pro Monasteriis quarundam religionum quae fi-

deliter adhaerere intendunt vitae contemplativae et simul ministerio educationis iuxta exigentias nostrorum temporum (24).

In ordinatione vitae claustralis praefatarum Monialium clausura peculiari modo aptata invenitur exercitio operum: ipsa, iam ante Instructionem "Inter praeclara" secumferebat et secumfert divisionem Monasterii in duas partes, unam pro communitate et aliam pro operibus exercendis, et praescripta quae sequuntur:

(24) Regimen clausurae ita ordinatur in pluribus monasteriis ubi vitae contemplativae ununtur opera apostolatus:

a) quoad egressum e monasterio:

Constitutiones Unionis Romanae Ordinis Sanctae Ursulae hoc ferunt: art. 140 "Les sorties prescrites ou permises par les Constitutions sont les suivantes:

a.—Assister au Chapitre général ou provincial, au Conseil provincial ou de mission.

b.—Pourvoir à une fondation.

c.—Se rendre à l'appel de la Prieure générale, de la Provinciale ou de la Supérieure de mission.

d.—Etre transférée d'une maison à une autre, du consentement de la Prieure générale, provinciale ou de mission.

e.—Se rendre aux écoles annexes ou paroissiales, du consentement de la Prieure locale.

f.—Se rendre aux retraites, aux Congrès et aux autres réunions de l'Institut, du consentement de la Supérieure compétente.

g. Suivre des cours d'Université, avec les permissions voulues, ou d'autres cours; en ces cas les religieuses demeureront dans une maison religieuse et fréquenteront les écoles approuvées ou reconnues par l'Autorité ecclésiastique

141. D'autres raisons de nécessité ou de véritable utilité peuvent légitimer, dans certains cas particuliers, la sortie de quelques religieuses. Il faudra la permission de la Prieure locale pour une sortie dans la ville; celle de la Provinciale ou de la Supérieure de mission pour un voyage dans la province ou dans la mission, ou pour un séjour de moins de deux mois hors d'une maison de l'Institut; celle de la Prieure générale pour un voyage hors de la province ou pour un séjour de plus de deux mois hors d'une maison de l'Institut."

Constitutiones Unionis Romanae Canonissarum Regularium Sancti Augustini Congregationis a Nostra Domina (Rome, 1937):

"100.—Les Religieuses ne sortiront de la clôture du Monastère que premièrement la cause ne soit bien reconnue et approuvée de la Mère Générale et que celle-ci n'en ait donné licence n'étant quelque cas de nécessité pressante ou quelque danger qui fût arrivé à l'improviste et si subitement qu'il n'y eût eu moyen de recourir à la dite licence.

Si une coutume plus en rapport avec les besoins actuels a diminué la rigueur de la clôture stricte, c'est uniquement en vue du but principal de l'Institut: l'instruction des jeunes filles. Ce seul but et les nécessités d'un enseignement vraiment progressif doivent motiver les sorties que la Supérieure juge devant Dieu devoir demander à la Mère Générale; mais ils ne doivent pas fournir de prétexte à un relâchement de l'esprit de clôture pour autoriser des sorties inspirées par des motifs d'intérêt, de famille ou de curiosité.

Toutefois ne sont pas comprises sous cette désapprobation les démarches exigées par de nouvelles fondations, le bien des maisons, des nécessités spéciales et l'accomplissement des devoirs civiques, le cas échéant.

101.—Les sorties prescrites ou permises sont les suivantes:

a.—Assister au Chapitre Général.

b.—Pourvoir à une fondation.

c.—Se rendre à l'appel de la Mère Générale.

d.—Etre transférée d'une Maison à une autre.

e.—Se rendre aux retraites, aux Congrès et aux autres réunions de l'Union.

f.—Suivre des cours d'Université, avec les permissions et les précautions voulues.

D'autres raisons de nécessité ou de véritable utilité peuvent légitimer, dans certains cas particuliers (oeuvres, soin des santés, etc.), la sortie de quelques religieuses.

Il faudra pour ces sorties la permission de la Mère Générale."

Constitutiones Canonissarum eiusdem nominis unionis vulgo "de Jupille", Cap. IV, art. 24, easdem normas continent.

a) absolutum vetitum pro extraneis, sine licentia S. Sedis, et sub censura S. Sedi reservata, cum agitur de Monasteriis votorum solemnium, ingrediendi in aedes communitati reservatas;

b) vetitum pro Monialibus, pariter sine licentia S. Sedis et sub censuris eidem reservatis, semper praesuppositis votis solemnibus, egrediendi ab aedibus Monasterii, nisi hoc requiratur pro ministerio praeparando, exercendo, vel perficiendo;

c) vetitum pro Monialibus, sine licentia Superiorissae, debitis sub cautelis danda, transeundi ad loca operum etiam quando transitus non absolute requiritur ab exigentiis operum apostolatus;

d) vetitum admittendi in partes operum personas extraneas ipso mi-

b) quoad transitum Monialium ad loca operum:

Constitutiones Unionis Romanae Ordinis Sanctae Ursulae hoc habent: "145. Les religieuses ne pourront, sans une permission de la Supérieure, aller au corps de logis des pensionnaires, ni aux classes des élèves externes, excepté celles qui sont désignées pour l'instruction et la surveillance des unes et des autres, ou pour les travaux matériels."

Constitutiones Unionis Romanae Canonissarum Regularium Sancti Augustini Congregationis a Nostra Domina (Rome, 1937) hoc ferunt: "88.—Tous les bâtiments et lieux compris dans l'enceinte du Monastère seront divisés autant que possible en trois parties: Une pour la demeure des Religieuses (clôture proprement dite); une pour celle de leurs écolières pensionnaires, et la troisième pour les écoles externes.

91.—Une Religieuse manquera à la clôture si elle sort sans cause légitime de l'enceinte du Monastère, ou si elle se tient sans nécessité ou sans permission dans un lieu qui n'est pas de la clôture proprement dite; par exemple: le pensionnat, l'externat, ou la partie du Jardin réservée aux étrangers."

Eaedem normae leguntur in Constitutionibus Monialium eiusdem nominis unionis vulgo "de Jupille", n. 22

c) quoad ingressum extraneorum in partem communitati reservatam:

Constitutiones Unionis Romanae Ordinis Sanctae Ursulae hoc determinant: "129. Dans toutes les maisons, il y aura une partie spécialement destinée à l'habitation des religieuses, dans laquelle aucun séculier ni, autant que cela sera possible, les élèves elles-mêmes ne pourront entrer. La Supérieure peut, dans un cas particulier, autoriser une exception."

Constitutiones Unionis Romanae Canonissarum Regularium Sancti Augustini Congregationis a Nostra Domina (Rome, 1937): "89.—Dans la partie réservée aux Religieuses n'entreront que les personnes dont les services sont nécessaires, comme les ouvriers, les médecins et leurs aides pour le soin des malades; et les Prêtres appelés pour assister celles-ci."

d) quoad ingressum extraneorum in loca operum:

Constitutiones Unionis Romanae Ordinis Sanctae Ursulae: "138. La partie de la maison où demeurent les élèves pensionnaires, et à plus forte raison celle où l'on reçoit les externes, seront considérées comme n'ayant qu'une demi-clôture. Les personnes séculières pourront être admises à les visiter, selon que la Supérieure le jugera à propos pour faciliter le recrutement des élèves. De même, quand les enfants seront retenues à l'infirmerie, la Prieure pourra autoriser les parents à aller les y voir.

139. On pourra aussi laisser entrer dans cette partie de la maison les anciennes élèves, et les personnes qui s'occupent ou sont l'objet d'œuvres dirigées par la communauté; et cela, soit en groupe et à des jours fixés, soit isolément, avec la permission de la Prieure, et dans les conditions qu'elle déterminera. Il en sera de même pour les professeurs qui peuvent être appelés à partager avec les religieuses les travaux de l'enseignement et de l'éducation."

Constitutiones Unionis Romanae Canonissarum Regularium Sancti Augustini Congregationis a Nostra Domina (Rome, 1937): "89.—..... Même en dehors de la clôture proprement dite, dans les locaux réservés aux élèves, externes ou pensionnaires, on n'admettra pas les personnes de sexe masculin, si ce n'est pour un juste motif, et avec la permission de la Supérieure."

nisterio sine licentia Superiorissae. Dicuntur extraneae personae illae quibus non dirigitur ministerium vel cum ministerio non habent connexionem necessariam;

e) facultatem habitualem admittendi personas quibus dirigitur ministerium vel quae connexionem moraliter necessariam cum ipso habent; aliae personae admitti possent solummodo de licentia speciali Superiorissae, sub vigilantia Ordinarii loci et servatis debitis cautelis semper prae oculis habita utilitate operum;

f) facultatem habitualem pro Monialibus transeundi ad loca operum ratione apostolatus et facultatem transeundi ad loca operum de speciali licentia Superiorissae, sub debitis cautelis danda, alia de causa.

Plures aliae normae et cautelae suggeruntur et praescribuntur in peculiaribus Constitutionibus et Statutis pro tuenda Monialium vita contemplativa, scilicet spiritu recollectionis et custodia castitatis quando, quavis de causa, in relationibus cum extraneis intra vel extra Monasterium, pericula haberi possent.

Exercitium operum extra Monasterium:

114. Tandem exercitium operum in locis a Monasterio separatis non videtur respondere menti documentorum pontificiorum etiam in casu clausurae minoris; opera enim supponuntur exerceri intra aedes ipsius Monasterii in quibus separatio inducenda imponitur. Tamen uti exceptio, praesertim cum opera prope Monasterium et in locis non multum frequentatis inveniuntur, posset concipi aliqua exceptio, quae expressam exceptionem supponit ex parte S. Sedis. Hoc evenire posset pro scholis cum v. g. fiunt in aedibus non ad Monasterium pertinentibus, pro operibus recollectionis prope Monasteria sitis, pro operibus in locis missionum (25).

Haec quaestio evidenter cum alia postea tractanda connectitur, nempe: quatenam opera exerceri possunt a Monialibus.

MONASTERIA SUBIECTA CLAUSURAE MINORI

115. Clausurae minori obnoxia sunt Monasteria quae suscipiunt opera apostolica exercenda commercium cum extraneis secumferentia et tali

(25) Similes dispensationes iam datae commemorantur prima medietate saeculi praeteriti, die 18 Iulii 1834 Monialibus Cisterciensibus Placentiae et die 21 Aprilis 1841 pro aliis Monialibus ita ut Monialibus liceret e clausura egredi et ad scholas publicas accedere pro pueris instruendis.

A. BIZZARRI, qui in *Collectanea S. C. EE. et RR.*, pp. 163-165, concessionem refert, adnotat scholas solere esse monasterio contiguas ita ut puellae in eas ingrediantur per ianuam externam et Moniales ad illas se conferant per ianuam internam, sed non excludit scholas posse esse separatas a monasterio.

mensura qua plures religiosae, notabilis pars aedium, habitualiter praedictis ministeriis applicandae sunt (Stat. Gen., art. IV, 2.^o). Articulus allatus notas ideo continet quibus criterium constituitur pro excludenda clausura maiore et pro instauranda clausura minore.

116. Illae notae semper inveniuntur in Monasteriis quae ex instituto operibus apostolatus incumbunt, veluti Monasteria Ursularum, Canonissarum Regularium a Nostra Domina, Monialium D. N. a Caritate, Monialium a Nostra Domina S. Ioannae de Lestonnac, Canonissarum Regularium Hospitaliarum a Misericordia Jesu, etc.

117. De facto eadem elementa inveniri possunt etiam in aliis Monasteriis in quibus ministeria successive introducta sunt et talem amplitudinem susceperunt ut practice non differant ab illis Monasteriis quae ex instituto operibus apostolatus incumbunt: ita v. g. plura Monasteria Monialium Ordinis Sancti Sepulchri, Monasteria plurima Tertiariarum Regularium S. Francisci (Cappuccinarum) in Helvetia, etc.

118. Primario et fundamentaliter clausura minor inducta habetur pro Monasteriis omnibus quae quadam cum amplitudine operibus apostolatus addicuntur ad hoc precise ut exercitium huiusmodi operum omnino concordari possit cum vita contemplativa monastica. Clausura minor, de se, nullam habitudinem dicit ad vota solemnna vel simplicia; non esset rectum asserere quod Monasteria quae gravibus de causis non valent reassumere vota solemnna, raticne votorum simplicium retentorum, possent vel deberent sese subiicere clausurae minori.

Clausura minor, prouti in Instructione "Inter praeclara" ordinata habetur, inapplicabilis est Monasteriis absque operibus apostolatus: totum enim regimen ingressus, egressus, transitus, admissio extraneorum, etc. fundatur in apostolatus exercito.

119. Nihilominus in Const. Apost. "Sponsa Christi" (l. c., p. 12), in Statutis Generalibus, art. IV, § 3, 3.^o et in Instructione "Inter praeclara", art. V, habetur criterium subsidiarium vi cuius clausura minor concedi posset Monasteriis votorum simplicium vitae unice contemplativae et etiam Monasteriis votorum solemnium cum vita pure contemplativa, cum carent quibusdam conditionibus quae "ad maiorem clausuram pontificiam, iurisprudencia receptoque stylo Curiae merito requiruntur".

Quaenam sint conditiones quas stili Curiae et iurisprudencia requirunt ad clausuram papalem maiorem in oppositione ad clausuram minorem nullibi expresse dicitur, censemus tamen hoc dignosci posse ex regimine clausurae maioris contento in Const. Apost. "Sponsa Christi" et in Instr. "Inter praeclara" et ex iurisprudencia hucusque vigenti apud S. Sedem.

Clausura maior a recentibus documentis pontificiis sancita est ipsa clausura papalis classica pro qua tamen quaedam novae causae dispensationum, licet modo limitato, praevidentur ob adiuncta omnibus Monasteriis communia. Ex iurisprudencia hucusque vigenti scimus non raro Monasteriis denegata et etiam ablata fuisse vota solemnia ob difficultatem servandi clausuram papalem sine pluribus dispensationibus pro ingressu et pro egressu e Monasterio.

120. Ideo criterium secundarium pro dignoscendis Monasteriis quibus concedi potest clausura minor ad hoc reduci valet: praxis vitae contemplativae purae in adiunctis tamen quae v. g. propter laborem materiale a Monialibus peractum, vel alia de causa propria cuiusque Monasterii speciales et frequentes dispensationes dari deberent. Applicatio criterii ita concipi posset: quoties egressus Monialium e Monasterio et pariter ingressus in ipsum ex parte extraneorum ex aliqua speciali, habituali ac legitima de causa quadam cum frequentia imponuntur tunc non videtur consentaneum applicare illo Monasterio clausuram maiorem, sed neque statim dicendum est locum dari conversioni Monasterii in domum Congregationis vel Societatis, si revera regimen egressus Monialium et ingressus extraneorum maxime differt a praxi Religiosarum votorum simplicium, tunc illis Monasteriis applicetur clausura minor sapienter exigentiis Monasteriorum aptata, ad instar adaptationis quae in Instr. "Inter praeclara" facta est pro Monasteriis operibus apostolatus incumbentibus.

121. Accommodatio vel ordinatio clausurae minoris paulisper diversa ab illa quae continetur in Instructione "Inter praeclara", omnino criteriis et normis contentis in Constitutione Apostolica "Sponsa Christi". Summus Pontifex per temperatas accommodationes legislationis circa Moniales (l. c., p. 11) providere intendit gravi inopiae, fami, inediae in quibus plura Monasteria versantur: hunc in finem mitigare sibi proponit arctiores clausurae leges quae saepe difficultatibus facilem viam sternunt et ideo duplicem figuram inducit clausurae papalis, maioris nempe et minoris (l. c., p. 12; Stat. Gen., IV, § 2, 1.º); clausuram vero minorem ipse dicit servare debere elementa necessaria atque nativa antiquae clausurae papalis et instaurandam esse in Monasteriis quae "vitae contemplativae exercitium quorundam ministeriorum cum ipsa consentaneorum intra monasticas ipsas aedes amice coniungunt" (Const. Ap., l. c., p. 12) et etiam concedi posse aliis Monasteriis "quae, etsi vitam tantum contemplativam retineant, vota solemnia non habent vel nonnullis carent conditionibus quae ad maiorem clausuram pontificiam, iurisprudencia receptoque stilo Curiae merito requiruntur" (l. c., p. 12). In eodem loco Constitutionis, Romanus Pontifex

accuratam definitionem clausurae minoris tradendam relinquit Statutis Generalibus et Instructionibus a S. Congregatione de Religiosis dandis.

122. Per Instructionem "Inter praeclara", S. Congregatio clare definit et ordinat clausuram minorem pro Monasteriis quae operibus apostolatus incumbunt, sed ex hoc videtur dici non posse exhaustam esse huius novae clausurae definitionem. Iuxta criteria data a Summo Pontifice definitio fieri potest etiam pro aliis Monasteriis quae servant vitam contemplativam, clausuram habent rigorosiorum quam Regulares viri et Congregationes mulierum, sed in impossibilitate inveniuntur observandi omnes leges clausurae papalis classicae in clausura maiore confirmatas.

Cum casus horum Monasteriorum potius rari videantur, ordinatio clausurae minoris pro ipsis melius forsitan fiet per Statuta propria.

QUINAM DETERMINET CLAUSURAM MINOREM

123. In Constitutione Apostolica et Instructione non dicitur cuinam competat eligere et statuere clausuram minorem.

Cum a S. Sede imponatur clausura minor Monasteriis in quibus locum habent notae supra illustratae, scilicet "ministeria cum extraneis suscipiunt, ut plures religiosae et notabilis domus pars habitualiter in haec ministeria incumbunt" (Stat. Gen., IV, § 3. 2.^o), pro istis nequit agitari quaestio de eligenda clausura minore, induci enim non potest nisi clausura minor.

Instauratio clausurae minoris in duplici sensu, nempe instaurationis clausurae papalis in Monasteriis quae tantum clausuram episcopalem servabant, et conversionem in clausuram minorem clausurae papalis iam servatae, ab illa auctoritate fieri debet cui spectat, ad normam can. 597, § 3. clausurae limites definire.

124. Pro aliis Monasteriis pro quibus dubium est an adsint omnes conditiones necessariam reddentes clausuram minorem vel pro quibus dubium est an clausura maior servari possit agitari potest quaestio cuinam competat eligere et definire clausuram.

In Statutis Generalibus (art. IV, § 3. 3.^o) et in Instructione (art. V) urgetur pro Monasteriis votorum simplicium obligatio clausurae papalis saltem minoris, non dicitur vero expresse an dispensatio vel peculiaris concessio requiratur ut, deficientibus ministeriis, stare possint soli clausurae minori.

Censemus, sive pro Monasteriis votorum simplicium, sive pro Monasteriis votorum solemnium, ex art. IV, § 2, et ex verbis Constitutionis Apostolicae (l. c., p. 12) instaurationem clausurae minoris requirere specialem concessionem ex parte Sedis Apostolicae.

Pro aliis Monasteriis, si dubium habetur an ministeria exercita requirant clausuram minorem, practica solutio difficultates non praebet: nisi aliter dicatur in concessione facultatis exercendi ministeria, vel eligatur clausura minor vel petantur facultates seu dispensationes necessariae.

Monasteria quae obtinuerunt facultatem exercendi quaedam opera apostolatus censemur libere posse sese subiicere regimini clausurae minoris.

125. Sicuti determinatio generis clausurae pendet ab operibus quae exercentur, ita etiam successivae innovationes in clausura respondere debent innovationibus in ipsis operibus exercendis: introductio operum exercendarum cum quadam amplitudine, vel illarum cessatio uti consequentiam habebunt instaurationem clausurae minoris vel maioris.

Ad difficultates vitandas, conveniens erit ipsam S. Sedem adire pro tam momentosa innovatione inducenda. Ceterum ipsa innovatio in operibus supponit interventum S. Sedis ut opera imposita ex instituto vel ex documento pontificio derelinquantur, vel ut opera suscipi possint cum Monasterio ex instituto vitae unice contemplativae destinatur.

MERITUM CLAUSURAE MINORIS

126. Clausura minor rigidam segregationem Monialium uti unum ex potissimis elementis vitae contemplativae fideliter conservat, ita tamen ipsam ordinat ut vita contemplativa amice componi possit cum moderato exercitio apostolatus.

Regimen clausurae minoris uberes fructus parit ex quibus figura et institutum Monialium ditescit: ex una parte ascensum vel reditum ad professionem votorum solemnium possibilem efficit pro multis religiosis quae vota solemnia derelinquere coactae fuerunt ut possent apostolatu vacare, retentis aliis elementis vitae Monialium; ex alia parte permittit aliis Monialibus, cum hoc desideratur vel necessarium forsitan habetur, suscipiendi opera apostolica qui amittant praerogativam et characterem monasticum et praesertim professionem votorum solemnium.

127. Clausura minor, dum nihil detrahit notis essentialibus et notis integrativis figurae iuridicae Monialium, etiam plene satisfacit exigentiis essentialibus et exigentiis integrativis ipsorum ministeriorum, ita ut "rite et fructuose" exerceri valeant.

Huiusmodi beneficia obtinentur quin Ecclesia recedat a constanti et absoluta norma de necessitate servandi clausuram papalem pro conservanda vel obtinenda professione votorum solemnium.

128. Revera, prouti commemoratur in Constitutione Apostolica "Sponsa Christi" (l. c., pp. 8-9), iam saeculis antea actis dabantur casus Monialium votorum solemnium, quae operibus apostolatus incumbabant, sed normae circa clausuram coarctationes multas afferebant tali exercitio: non raro puellae educandae ad observantiam clausurae adstringebantur sicut ipsae Moniales; numerus puellarum admittendarum restrictus erat, cum non posset praetergredi medietatem numeri ipsarum Monialium; successive per diversas dispensationes exigentiis operum provisum fuit, sed nunquam modo sufficienti.

DISPENSATIONES A CLAUSURA MINORE

129. Art. XVI Instructionis "Inter praeclara" affirmat: "Clausurae papalis minoris dispensationes ex regula, exceptis casibus in iure admissis, S. Sedi reservantur."

Reservatio dispensationum S. Sedi profluit ex ipso caractere papali huius clausurae, qui character ipsi communis est cum clausura maiore. Reservatio tamen S. Sedi non ita absoluta est, sicuti pro clausura maiore (Instr., art. VIII): verba "ex regula" quae in nostro articulo Instructionis leguntur innuunt, aliquando, facultatem dispensandi tribui posse Ordinariis locorum, uti quid normale pro determinatis Monasteriis, ab Ordinariis exercendum iure proprio.

130. Praeterea etiam in casibus in quibus dispensatio reservatur S. Sedi, praevidentur pro clausura maiore largiores possibilitates largiendi dispensationes ex parte Ordinariorum, nomine S. Sedis: dicit secunda pars articuli XVI: "Facultates plus minusve latae, prout adiuncta exigere videantur, sive ab homine sive in Constitutionibus et Statutis possunt Ordinariis delegari."

Statuta ideo et Constitutiones, attentis omnibus circumstantiis in quibus Monasteria versantur, ratione locorum, ratione operum exercitorum, etc. poterunt communiore casus dispensationum praevidere et ita ordinari ut valeant ab Ordinariis elargiri. Approbatio apostolica quae huiusmodi praescripta sancit, de facto, Ordinariis facultatem tribuit, prouti in Statutis ordinata habetur.

131. In art. XIV, 2.º et 3.º Instructionis Ordinariis tribuitur potestas providendi exigentiis operum apostolatus, hic vero in art. XVI praevidentur casus qui aut nullam aut aliquam tantum et insufficientem connexionem habent cum operibus apostolatus: casus huiusmodi possent esse egressus pro salute curanda, egressus pro negotiis maioris momenti, etc.; ingressus aliarum religiosarum diversi Ordinis hospitalitatis causa, etc.

Hoc modo ordinari valet etiam clausura minor concessa Monasteriis non occupatis in operibus apostolatus.

SANCTIONES PRO CLAUSURA PAPALI MINORE

132. Art. XV Instructionis, cohaerenter cum peculiari regimine huius clausurae, sanctiones quibus munitur clausura papalis classica reservat elementis potioribus clausurae minoris, desumptis e clausura classica, sciicet: vetito pro Monialibus egrediendi ex aedibus Monasterii (art. XV. 1.º); et vetito pro extraneis ingrediendi vel illos admittendi in partes communitati reservatas (art. XV, 3.º); pro violatione horum praeceptorum comminatur excommunicatio Sedi Apostolicae simpliciter reservata, ad normam can. 2.342, 3.º. Haec poena iisdem normis regitur quae pro violatione clausurae maioris valent. Praevidetur tamen etiam aliqualis mitigatio huius poenae, quatenus ex expressa concessione, excommunicatio reservari potest Ordinario loci: quo in casu ab Ordinariis absolvi posset, ad normam aliarum censurarum, quae ipsi reservantur.

133. Nova elementa clausurae minoris quae afficiunt transitum Monialium ad loca operum et ad eadem loca extraneorum accessus, si illegitime fiunt muniuntur comminatione poenae vel poenitentiae indeterminatae (can. 2.195, § 2). Art. XV, 2.º statuit: "Moniales illegitime egredientes e partibus Monasterii Communitati reservatis ad alia loca intra septa Monasterii posita, a Superiorissa vel ab Ordinario loci pro gravitate cul-pae puniendae sunt."

134. Punizio dicitur ferri posse a Superiorissa vel ab Ordinario loci et proportionatam esse debere gravitati cul-pae.

Pro illegitime ingredientibus partes Monasterii operibus destinatas et pro illis qui ipsos introducunt art. XV, 3.º, sancit "...ab Ordinario loci ubi Monasterium adest, severe pro gravitate cul-pae puniantur." In hac parte articuli non fit mentio de Superiorissa.

Punizio seu sanctio a Superiorissa, ad normam art. XV, 2.º, lata certe induere nequit naturam poenae canonicae: quaeri vero potest an sit poena canonica illa quae in eodem articulo XV, 2.º et 4.º, ab Ordinario loci irroganda praevideatur, et consequenter an agatur in casu de delicto.

Verba adhibita certe de se sufficiunt pro significanda poena canonica indeterminata: eadem inveniuntur in cann. 2.322, nn. 1 et 2; 2.325; 2.329; 2.336; etc. Cum vero eadem formula adhibeatur etiam pro Superiorissa in uno eodemque articulo, non sine ratione dici potest quod poenae ferendae a Superiorissa et ab Ordinario supponatur eiusdem naturae paternae. Huic explicationi quis respondere posset utrumque, Superiorissam et Or-

dinarium, punire valere iuxta naturam propriae potestatis: ideo Ordinarium posse adhibere etiam poenas canonicas, prouti praevideatur in cann. 603 et 604, § 3.

Punitio infligenda comminatur "pro gravitate culpae": supponitur, igitur, haberi gradus culpae iuxta diversas circumstantias et adiuncta: nempe, iuxta repetitionem violationum, iuxta modum quo lex violatur, iuxta incommoda quae secuta sunt, etc.

C O N C L U S I O

135. Cura materna Ecclesiae pro vita contemplativa tuenda, sensus fidelitatis traditioni et simul providus et adequatus sensus accommodationis exigentiis animarum iuxta diversa tempora et loca, mire elucet in principiis et normis datis circa Monialium clausuram.

Clausuram, quae elementum maximi momenti est pro vita contemplativa Monialium, Ecclesia retinet ac confirmat: scit enim Ecclesia vitam contemplativa florere non posse nisi in horto concluso.

Cum tamen vita contemplativa apud quaedam Monasteria ali debeat ac corroborari a moderato ministerio apostolico, ad hunc tantum finem, apostolatam amice componendi cum ministeriis et solummodo intra limites exigentiae ministeriorum, clausura moderatur ac mitigatur.

Nemo non videt quam sapientia et sensu adaptationis informentur normae clausurae minoris et eodem tempore quonam sensu fidelitatis elementis traditionalibus clausurae.

Per inductionem clausurae minoris plurimum renovatur institutum Monialium et ditatur mira varietas Sanctimonialium quibus Ecclesia circumdatur et ornatur.

AELIUS GAMBARI, S. M. M.

Sacrae Congregationis de Religiosis Adjunctus